PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLII / ~~FASC. I~~
~~15 mart.~~ 1953

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma California

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1953

40945

FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

Pag.

De monachis caeterisque religiosis in Motu Proprio « Postquam apostolicis litteris ». P. A. WUYTS S. I. 5

Doctrina Moralis de Recensione Librorum. Dr. P. L. BENDER O. P. 24

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII.

1. *Constitutio Apostolica « De disciplina servanda quoad ieiunium Eucharisticum* 33

2. *Instructio de disciplina servanda circa ieiunium eucharisticum* 41

Annotationes, P. F. HÜRTH S. I. 50

3. *Nuntius radiophonicus datus in pervigilio Nativitatis Domini anni 1952* 86

4. *Allocutio « De ratione sport et educationis physicae quoad religionem et regulam morum* . 106

S. S. Congregatio S. Officii.

5. *Decretum proscribens librum « Ehe » auctoris Ernst Michael* 118

S. C. Rituum.

6. *Decretum super calligas Episcoporum* . . . 118

7. *Solvuntur dubia circa syrma quorundam praelatorum* 119

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLII / FASC. I
15 mart. 1953

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1953

v.42
1953

IMPRIMI POTEST

Romae, die 25 martii 1953

P. Petrus M. Abellán S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 8 aprilis 1953

† A. Traglia
Archiep. Caesarien., Vic. Gen.

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE MONACHIS CETERISQUE RELIGIOSIS IN MOTU PROPRIO "POSTQUAM APOSTOLICIS LITTERIS"

Attente legentem recentius Motu proprio de iure Orientalium, non latebit magnum aliquod discrimen cum duobus prioribus Motu proprio a Sede Apostolica editis pro Orientalibus. Etenim tam jus matrimoniale cfr. « Crebre allatae », AAS. XXXI, 22-II-1949) quam normae de iudiciis ecclesiasticis (cf. « Sollicitudinem nostram », AAS, XXXII, 6-I-1950), maxime similes sunt cum partibus correspondentibus iuris latini. Huius autem similitudinis rationes sane non defuerunt ut unificatio iuris matrimonialis, cum hodiernis temporibus ubique fere permixtim vivunt fideles variorum rituum qui antea saepe normis tam diversis regebantur: res tanti momenti legibus certis atque, in quantum fieri possit, uniformibus ordinanda erat. Ad iudicia autem ecclesiastica quod attinet, normae de hac materia fere omnino deerant cum tamen urgeret necessitas apud communitates catholicas in Proximo Oriente. Coetero, iam antiquae normae processuales, quae iure Codicis latini perfectiores factae erant, vel ab ipso celebri iuris ecclesiastici in Russia professore Souvorov laudabantur.

Scribit enim ecclesiam catholicam evolutas formas processus iuridici elaborasse, quae magnum influxum exercuerunt in ius processuale Europae Occidentalis; quare nec civilista, nec criminalista nec processualista iuri ca-

nonico suprasedere posse in studendo historiae iuris. (cfr. Utchebnik tserkovnago prava, 4 ed. Moscoviae, 1912, p. 300).

Ultimum « Motu proprio » e contra non solum ius proprie orientale conservare conatur sed illud tamquam exemplar vitae religiosae proponit ad quod interdum reliquum ius ut ad normam primariam refertur. Sane, etiam novus textus saepius canones Codicis latini satis premit, sed plura principia omnino aliter ponuntur et ipsa interpretatio iuris, quod materialiter forte idem sonat, sive in iure Orientalium, sive in iure latino, propriae traditionis antiquae rationem habere debet.

Iam ipse titulus « de Monachis ceterisque religiosis » distinctionem introducit qua vita monastica ut pars principalis ponitur; quam praecedentiam in toto tractatu constanter applicatam invenimus.

* * *

Vita religiosa in Oriente, post pauca saecula ad perfectas formas suae evolutionis pervenit. Etenim, a primis exordiis christianismi fideles quidam, sola praeceptorum observatione minime contenti, evangelicorum quoque consiliorum praxim exercere conati sunt. Qui quamvis regulam vitae ordinatam non haberent, quasdam tamen praxis communiter observabant: ut ieiunium, abstinentiam a matrimonio, aliquam abdicationem a bonis temporalibus, aliaque opera ascetica. De his testificantur varii Patres ut Iustinus (Apol. I c. 15; 29); Athenagoras (Legat. pro Christo c. 28; 33), Minutius Felix (Octav. c. 31), Clemens Alexandrinus (Paedag. I. 7; Strom. IV. 8 n. 59), Origenes (in Jer. Hom. 19.4.7), Tertullianus (De monog. c. 3) Cyprianus et alii.

Ex illis fidelibus continentes et virgines, ut vocabantur, vel postea etiam asceticae, quidam, ut melius Deo vacarent, in desertum se contulerunt quorum numerus

certo crevit eo quod haud pauci a civitatibus fugerent prae timore persecutionum. Et sic incipit velut aliud quoddam stadium in ordinanda vita perfectionis, nempe eremitismus cuius principium, non obstante favore quo coenobitismus constanter fruitus est postea,tamen hucusque existit atque in ipso Motu proprio conservatur (can. 1, 4).

Inter patriarchas vitae eremiticae maxime noti sunt S. Paulus, S. Antonius cuius discipuli ad eius mortem, teste Rufino, valde numerosi erant; S. Amon in Nitria, S. Macarius Maior in Scitia (Aegypto inferiore), S. Hilarion in Palaestina. S. Saba et alii.

Mox tamen S. Pachomius, qui et ipse ut eremita incepit, utilius duxit illos, qui ad perfectionem christianam tendebant, in unum vocare eisque vivendi formas sub stabili Superiore imponere. Inde iure ut fundator vitae coenobiticae habetur. In suius nempe monasteriis prima lineamenta vitae proprie religiosae inveniuntur, non sane omnino evolutae cum postulatu, novitiatu, votorum emissione etc., sed cum talibus vitae adiunctis ut stabilitatem in communitate quandam inducerent.

Re vera, eius conamina ut medium iter inter vitam eremiticam et vitam proprie coenobiticam habenda sunt cum praeter disciplinam aliquam sat militarem, cum tectu, victu, superiore communi, monachi pachomiani vitam potius solitariam contemplationis ducerent (cfr. Hilpisch. Geschichte des Benediktinischen Mönchtums. Freib. in Bresg. 1929, p. 41).

Inter imitatores S. Pachomii maxime noti sunt in Aegypto Bguld fundator duplicis monasterii Atripe, prope Tabennisi, eius nepos Schenuti, qui nimiam severitatem introduxit; S. Nilus in Monte Sinai, Jacobus Nisibenus in Siria, S. Ephrem, S. Aphraates etc. Discrimina tamen haud pauca exstiterunt inter monasticae vitae formas, ut patet legenti historiam monachismi; noti sunt Stylitae, Sarabaitae, Reclusi, Ascemitae, pascentes et tot alii qui

sive in laudes Deo canendo, sive in vivendi ratione sive tandem in aliis maximam varietatem inter se constituunt.

Ex parte vero ascetica si consideratur evolutio vitae religiosae, praetermitti non possunt, praesertim in mundo byzantino, S. Basilius Magnus et Theodorus Studita. S. Basilius vitae coenobiticae novum spiritum dedit, non solum attendo separationi a mundo, sed insistendo praesertim in unionem cum Deo. Regulae S. Basilii tractatum constituunt asceticum, potius doctrinalem quam dispositivum. Eius regulae in toto Oriente diffusae sunt et sub forma latinae versionis maxime in Occidente influxum habuerunt, etiam in ipsum S. Benedictum.

S. Basilius de variis virtutibus tractat, insistit praesertim in oboedientiam sed Superior paterne agat, dirigatque suos monachos in vita spirituali; valde extollit charitatem inter monachos sed etiam *extra* proprium coetum, quare prope monasterium hospitia vult pro pauperibus, aegrotis, orphanis.

S. Theodorus Studita (759-826) disciplinam potius severam propugnat atque insistit in oboedientiam et charitatem cum magno respectu dignitatis humanae; egregio modo spiritum S. Basilii in vita monastica applicavit.

Dum Medio Aevo et saeculis posterioribus vita religiosa in Occidente varias formas introduxit, in Oriente e contra haec forma vitae monachalis typum fere unicum permansit, nam nisi excipias recentiores quasdam fundationes non proprie religiosarum ut tchernitsae (beguinae) apud Russos, institutionem charitatis Marthae et Mariae et aliquot alias, evolutio vitae religiosae orientalis ad hanc formam sistit; aliae quidam species habentur apud Catholicos orientales, sed hae a iure occidentali originem duxerunt. Est autem haec vitae religiosae antiqua forma quae in Motu proprio ut archetypum praebetur atque inde monachismus describitur ut religio « in qua vita religiosa peragitur secundum antiquas Orientis traditiones » (can. 313 § 3).

Videamus itaque quaenam sint eius characteristica.

Et in primis, si ipsam organisationem spectamus, dicendum singula monasteria esse sui iuris, id est constituere aliquid per se, ubi religiosi, seu monachi quoad regimen internum et reliqua ad vitam religiosam spectantia, a Superiore monasterii, qui maior dicendus est (can. 312 § 5, 1°) cum omnibus iuribus, et ordinarie ad vitam electus est (can. 32 § 1) omnino dependent. Quamvis sub S. Pachomio, id est initio vitae coenobiticae, unio quaedam habebatur inter omnia monasteria sub Superiore generali, qui monasteria visitanda curaret, secundum ius genuinum orientale, varia monasteria numquam constituunt aliquem ordinem seu Congregationem religiosam. Fundatores numquam de condendo ordine cogitarunt, sed tantum de monasterio, quod per se staret, a quo tamen quaedam domus minores, subsidiaria, dependere possent, ut domunculae, ubi monachi se magis contemplationi solitariae darent, vel metochia, procurae etc.

Attamen S. Basilii Magni refertur aliquod desiderium : « Utinam autem fieri posset, scribit (Reg. fus. 35), ut non modo qui in eodem pago simul congregati sic permanerent, sed plures etiam, qui diversis in locis constituti sunt fratrum conventus, ab una tantum cura, eorum, qui aequo in omnes animo sapienterque rebus omnium consulere possent, in spiritus consensione et pacis vinculo regerentur ». Quaerere ad hoc quis posset num his verbis revera « conceptio regiminis centralisati a S. Basilio admissa » sit ut interdum interpretantur auctores (cfr. Meletius M. Wojnar OSBM, De Regimine Basilianorum Ruthenorum », Romae, 1949 p. 11), an sit potius ideale tantum quoddam, ubi unus Superior revera Pater esset omnium, omnesque suos monachos notos haberet, quod tamen ipse S. Basilius ut impossibile habet.

Haec distinctio monasteriorum nequaquam omnem unionem excludit. Et iam ipse S. Basilius plura indicat elementa : ut mutuum adiutorium quoad res oeconomicas

inter varia monasteria (Reg. fus. 39; brev. 285, 181), vel quod Superior potest vocari ab alio monasterio (Reg. fus. 35) quod Superiores aliorum conventuum interveniant in eligendo novo Superiore (Reg. fus. 43), quod ipsi inter se Superiores variorum monasteriorum interdum conveniant (Reg. fus. 54) etc.

Atque talem unionem plura secum afferre bona non est negandum quod ceterum experientia constat. In Motu proprio continuo de tali unione quaestio est sive de Confoederatione monastica, sive etiam interdum de Consociatione Confoederationum (can. 11; 12 28, etc.) cum eorum respectivis praesidibus, quibus varia iura dantur quoad suppressionem domorum (can. 10 §1), quoad bona suppressae domus (can. 10 § 4, 1°), quoad electionem Superiorum (can. 34 § 2), quoad relationem ad Sedem Apostolicam (can. 39; 40) quoad visitationem (can. § 412), quoad bona acquirenda, etc. (can. 63 § 1), quoad novitiatum (can. 86; 89 § 4; 99 § 1), studia (can. 123 § 2,3; 126 § 1; 152 § 2) transitum ab uno monasterio ad aliud (can. 182 § 1, 185); ad dimissionem post professionem maiorem (can. 205; 215).

Mirum forte alicui videri potest quod Motu proprio adeo insistit in institutionem quae parce admodum sese manifestavit in ipsa ecclesia catholica. Nam quamvis plures habeantur qui monachi vocentur, ut Basiliani Melchiti, Basiliani S. Iosaphat, Antoniani Maroniti et alii, unica tantum hucusque habetur fundatio quae revera onmia characteristica prae se fert monachismi secundum traditiones Orientales et inde secundum praescripta Motu proprio. Haec est fundatio Studitarum initio huius saeculi orta (cfr. Statistica S. C. pro Ecclesia Orientali, 1932 pp. 352 ss.; Stoudion. Notizie. Métropole de Halic. Un essai de restauration monastique : les Studites » II, pp. 136-147). Sed respondetur institutionem monachalem esse et manere typicam apud Orientales, multo plus adhuc apud dissidentes,

quorum accessus ad ecclesiam catholicum minime ut impossibilis habendus est. Dein non praetereundum quod plures inter illos religiosos orientales, qui partim saltem servaverunt antiquas traditiones Orientis christiani, ut Basiliani Melkiti Aleppini, Shouariti et alii satis facile ad typum in Motu proprio praeconizatum pervenire possunt reformatione quadam inducta et permittente suprema auctoritate ecclesiastica, ita ut nequaquam theoretica tantum vita monastica tamquam forma vitae religiosae in Oriente praebeatur.

Ad Confoederationes autem quot spectat, exempla habentur plura antiquitus; nunc maxime nota est res publica monastica Montis Athos ubi viginti maiora monasteria, a quibus plurima alia dependent (monasteria filialia vel subsidiaria), inter se constituerunt confoederationem, quae gubernatur per sacram epistasiam, compositam ex quattuor electis monasteriorum. Sacra Epistasia ut praesidem habet « proton », primum inter pares qui cum aliis epistatis res ad pluralitatem votorum decidit. In reliquis autem monasteria servant propriam autonomiam.

Non immerito forte quis ex tam accurata determinatione iurium Confoederationum monasteriorum, legislatorem Motu proprio aliquem favorem praebere voluisse his unionibus putaret, illasque optasse. Verum iterum est talem Confoederationem hucusque non existire in ecclesia catholica, sed iam in schemate Typici Studitarum omnino praevidetur; quoad alias vero religiones, illae quae hucusque disciplinam mixtam, orientalem slc. et occidentalem secutae sunt, introducta vita monastica, varia monasteria sui iuris, quae olim ordinem sensu latino constituebant, facile inter se Confoederationem inire poterunt; quinimmo, cum iam quidam horum ordinum haberent easdem Constitutiones, vel eundem originem (ut Basiliani Aleppini et Schouairitae apud Melkitas, et alibi alii), introducta disciplina monastica, singulae Confoederationes rursus inter se in Consociationem uniri poterunt.

Praeter illam exteriorem organisationem, etiam alia propria sunt vitae monasticae. Sic omnia monasteria de se contemplationem intendunt, nec quaedam directe condita sunt, sicut plures ordines et congregationes apud Latinos, ad varia ministeria, ad charitatem exercendam sive spiritualem sive temporalem, ad missiones etc. Sane haec opera nullo modo excluduntur in vita monastica, atque historia monachismi illustria exempla novit: S. Basilius scholas claustrales admisit; monachi artes diversas exercuerunt, bibliothecas instituerunt, controversiis dogmaticis interfuerunt, « in monasteriis medii aevi byzantini floruerunt institutiones humanitatis plures sicut scholae, hospitia, pro advenis et peregrinis, pro senibus, pro infirmis, orphanis, indigentibus etc., quae prope monasteria condebantur et monachi vel moniales ministrabant » (De Meester Placido O. S. B. De monachico statu, p. 97; n. 15. 3). Recentius, in concilio Moscoviae (1917-18), apud dissidentes variae regulae editae sunt de activitate spirituali in bonum proximi. Haec quidem in primis consistere debent in exacte adimplendis iis muneribus quae propria sunt monachis, ut servitium liturgicum, opera patrum spiritualium, sed commendatur etiam praedicationes habeant pro populo, ut distribuant scripta de materia morali et religiosa; ut scholas aperiant, quod ceterum traditio iam ferebat; praesertim vero in his regionibus ubi habentur non-orthodoxi exerceatur opus proprie missionarium quod vel exclusive facere possunt monachi urgente necessitate. Etiam de monialibus cavetur ut habeant scholas pro puellis regionis et exerceant opera charitatis (cfr. Dieiania. Decretum de monasteriis et monachis, art. 53-58, in Joannes Řezáč S. J. De Monachismo. Romae 1952, App. pp. 301-2).

In ipso Motu proprio, quamvis non directe quaestio sit de ministerio monachorum, canon 154 loquitur modo generali de religiosis, quod ipsos monachos includit. Inde ministerium etiam ab ipsis requiri potest « salva mona-

stica observantia » cum primus scopus maneat vita contemplativa secundum traditiones.

Aliud characteristicum vitae monasticae in eo consistit quod distinctio inter religiones clericales et laicales non existit. In Motu proprio haec distinctio applicatur exclusive ordinibus et congregationibus. De facto antiquitus pauci tantum erant sacerdotes in monasteriis, tot nempe quot requirebantur al necessitates monachorum et ad servitium liturgicum (S. Basilius Ep. 256 PG. 39. 945; S. Nilus, S. Gregorius Nyssenus ...). Iustinianus praescribit ut sint quattuor vel quinque (Nov. 133 c. 2). Sed ipsa necessitas monasterii antiquitus neque quotidie S. Liturgiam exigebat, quod ultimis temporibus adhuc apud dissidentes applicabatur. Sic secundum synodum quaemdam constantinopolitanam (1858-1860) « omnia monasteria dividuntur in tres ordines. Monasteria primi ordinis quae habent super viginti patres ... celebrabunt quotidie divinam liturgiam. Monasteria secundi ordinis quae habent super decem patres ... debent ... celebrare ter in hebdomada ... Monasteria vero tertii ordinis quae habent super quinque patres ... celebrabitur unoquoque sabato et dominica die » (cfr. De Meester l. c. p. 110).

Cum nostris temporibus apud catholicos fere omnes monachi essent sacerdotes, de tali dispositione quaestio non erat sed et in interrogationibus apud moniales orientales Visitator informari debet num moniales quotidie sacro intersint (cfr. Syn. Alex. Coptorum pp. 329-30 etc.). In Motu proprio ordinatio sacra non ingreditur notionem vitae monasticae.

Etiam quoad initiationem in vitam religiosam, monasteria orientalia suam ab antiquo traditionem habent. Numquam postulatus ut institutio sensu iuridico viguit; experimentum tamen per aliquot tempus fiebat per « duas vel tres hebdomadas » « ut (candidatus) conspicere et probare valeat monasterium, et si immanet in proposito suae cogitationis, postquam hegumenus illi testificatus fuerit

quae ventura sint, tunc introducit illum ut instruatur et gregi suo adnumeretur ... » (De Meester p. 354 ad n. 110 ex Hypotypon S. Theodori Studitae). In Motu proprio de postulato apud monachos verbum non fit (cfr. can. 71).

Novitiatus autem antiqua traditione habetur. Sane non in primo initio, id est apud Pachomium et alios huius temporis, sed mox triennium novitiatus introductum est atque in tota fere legislatione Orientis sustinetur. Admittebantur exceptiones vel ab ipso Iustiniano qui nempe tales agnoscit quibus statim dari posset habitus (Nov. 5 c. 2; 123 c. 35); notemus ipsum e contra novitiatum protrahere usque ad quindecim annos pro militibus (Nov. 123 c. 25 etc.).

Haec traditio omnino servatur in nostro Motu proprio, nam dum in ordinibus et congregationibus novitiatus praescribitur ad unum annum quoad validitatem (ex iure communi), apud monachos requiritur ut sit « per triennium integrum et continuum » (can. 88 § 1. 2°); sed Superior monasterii sui iuris seu synaxis ad normam statutorum, dispensare potest, iuxta et rationabili ex causa, a tertio novitiatus anno » (ib.).

Nemo ignorat momentum habitus in professione religiosa antiquitus, praesertim in Oriente. Habent nempe vestes suam significationem quae, simul cum aliis coeremoniis a quibus separari nequit, ut assumptio nominis, tonsura, orationes, novam vitam significant illam quae baptismo datur. Quare antiquitus novitii in monasteriis in propriis saecularibus habitibus manebat; usu tamen factum erat ut ipsis habitus quidam specialis, a professorum diversum, daretur. Inde cum in Motu proprio stabilitur quod « novitiatus incipit susceptione habitus vel alio modo in statutis praescripto » hoc non significat solemnem habitus susceptionem quae partem ipsius professionis monachalis secundum traditionem constituit.

Praetera discrimen sat magnum cum reliquo iure

de religiosis habetur in ipsa professione emittenda. Cum nempe ultimis temporibus ubique fere professio temporaria, perpetuam praecedens, introducta fuerit, etiam apud religiosos orientales qui maxime antiquas formas imitarentur, haec vota temporaria nunc monachis non imponuntur nisi per accidens, quare monachus, statim post triennium novitiatus, nisi aetatem ad professionem perpetuam non habuerit, professionem maiorem seu monachalem emittit. Discrimen certo cum religionibus non monachalibus habetur eo quod novitiatus normaliter diuturnior est apud monachos, sed forte alia ratio ad concedendam professionem maiorem statim post triennium est ipsum vitae genus quod minus periculis exponitur quam illorum qui ministeriis incumbere debent. Notemus insuper professionem, si unica est, perfectius secundi baptismi rationem, quae adeo extollitur in coeremoniis professionis, prae se ferre cum aliquo modo offuscatur per antecedentem professionem temporariam.

Habetur et aliud discrimen quod, cum potius pertineat ad vitam asceticam, non directe tangitur in Motu proprio sed propter relationes cum valore iuridico professionis praetermittere non possumus. De re Motu proprio haec habet « quod attinet ad diversos professionis monasticae gradus, salva in singulis gradibus vi canonica monasticae professionis, standum statutis » (can. 109).

Ex lunga iam traditione existunt varii gradus in professiones monastica in Oriente. « Usquedum splendor antiquae monasticae disciplinae floreret, dicit P. De Meester, (l. c. p. 85), maxime vero dum vita solitaria atque contemplativa quasi unice vigeret, una erat professio monachalis. Caeterae autem professiones ortae sunt, labente vetere austeritate et monachorum moribus aliquantulum mutatis, praesertim ob coenobiorum aptam institutionem necnon ob labores et opera calogerorum, etiam extra monasterium peracta ».

Re vera haec animadversio forte non eodem modo

tribus graditus applicari potest. Nam primus gradus, rasophoratus (a verbo « rason », habitus slc. cum largis manicis), provenit ex more apud Studitas orto, circa s. IX-X, ut saeculares, monasterium ingredientes, ab Hegumeno et fratribus benedictionem aliquam acciperent, atque vota adventus. Ipsi tamen nolebant statim magnum habitum accipere. Atque deinde hic gradus ordinem et coeremonias et ritum quemdam accepit qui se evolvit decursu saeculorum (cfr. De Meester l. c. p. 83).

Ceterum quoad rasophoratum magna disputatio habetur sitne re vera iam professio monastica. Plures enim auctores rasophoros potius ut novitios habent. Alii, ut Balsamon (Commentar. in Oec. VII c. 14; in Conc. Primum-Secundum can. 15; in S. Basilii can. 19); Matthaeus Blastarès (Synt. Alphabet. litt. M, cap. 15) et post Milasch (Das Kirchenrecht der morgenländischen Kirche § 209), per mediam viam procedunt affirmando obligationem rasophori moralem tantum esse, non vero iuridicam (de tota hac disputatione cfr. De Meester l. c. pp. 87-93).

Rasophorus, si velit, ad mortem usque in suo gradu manere potest et de facto saepe praesertim apud idiorrythmicos (forma quaedam vitae monasticae relaxatae ubi monachi in uno monasterio varias familias satis autonomas constituunt ut in Monte Athos, in Monte Sinai), sic perpetuo permanent. Regulariter vero, post aliquot tempus in hoc primo gradu — quin tamen ubique omnino obligatorium sit primum per illum gradum transire — monachi incipientes petunt ut admittantur ad superiorem gradum, ad stavrophoratum, ut dicitur, vel parvi habitus. Nomen venit ex cruce quam in professione accipiunt vel ex veste minore quam induunt; habent quoque pallium magnum quo utuntur in choro. Caeremoniae novae habentur, similes ac in rasophoratu, cum nova habitus susceptione, sed insuper stavrophorus iam expresse promissa essentialia vitae religiosae emittit per responsa ad interrogationes hegumeni : « an velit seipsum conservare in

virginitate et in temperantia atque in pietate, an observabit ad mortem usque oboedientiam Superiori et toti in Christo confraternitati, an sustinebit omnem afflictionem et angustiam monachalis vitae propter regnum coelorum » (ex Euchologio ed. romana, 1873; cfr. De Meester p. 372).

Quamvis maior pars monachorum orientalium in hoc secundo statu permaneat ad vitae finem, potest tamen monachus post aliquot annos ad ultimum perfectionis gradum tendere et petere ut sibi concedatur magnus habitus, quod etiam angelicus dicitur. Renovantur coeremoniae et vestibus huius status induitur.

Si tandem quaeritur quidnam sibi velit hic triplex gradus, respondendum certo unam tantum esse radicaliter professionem religiosam seu deditionem Deo per vota monastica.

Item certo omnes monachi ad easdem regulas observandas tenentur. Discrimen itaque unice asceticum est in maiore obligatione qua superiores gradus ad perfectionem tendere debent, ad quod obtinendum quaedam exteriora concurrere possunt ut maior numerus determinatarum orationum et poenitentiarum faciendus; vacatio ab operibus manualibus ut facilius orationi vacari possint etc.

Quidquid sit de distinctione, quam non omnes vitae spiritualis magistri probatam habebant, ut S. Theodorus Studita (Testam. praeser. 12; Syn. patriarch. constant. 1389-1390; S. Gregor. Thessalon. etc.) nunc practice in vitam monasticam ita transiit ut characteristica eius pars dici possit.

In pluribus ritibus, praeter byzantinum, hi gradus, saltem parvi et magni habitus, existebant; sic apud Maronitas tres gradus habentur (Syn. liban. IV. II. 17); apud Coptos et Aethiophicos et apud Armenos duo erant (cfr. Amadouni Garabed : Monachismo Cod. orient. Ser. II fasc. 12 pp. 20 ss.). Apud recentiores (catholicos) saepe

professioni simplici vel temporariae ex una parte, professioni solemni ex alia aequiparabantur (cfr. vg. Constit. Basilian. Melk.).

In Motu proprio varii gradus, uti sunt, constituunt unicam professionem: « salva in singulis gradibus vi canonica monasticae professionis » (can. 109)..

Tandem ad dependentiam ab auctoritate ecclesiastica si spectamus, singulare apud monachos est stauropegia. Dum in iure latino religiones distinguuntur in exemptas et non exemptas ab episcopo loci, in iure orientali tertia categoria occurrit, nempe monasteriorum quae exclusive a Patriarcha vel a capite ecclesiae — debita submissione Sedi Apostolicae servata, ut patet — dependent. Haec vocantur stauropegiae. Verbum « stauropegia » de se significat fixationem crucis quae in omni fundatione monasterii vel ecclesiae vel loci consecrandi fiebat; sensu vero magis restricto et nunc communi indicat illa loca sacra quae per fixationem crucis patriarchalis Patriarchae vel capiti ecclesiae soli reservata manebant.

Prima documenta huius reservationis certo ad s. IX assurgunt; ius autem vario modo evolutum est, nam post patriarcham constantinopolitanum etiam coeteri patriarchae sibi tale ius reservarunt; ius ipsa stauropegiae non tantum ad solam fundationem monasterii restrictum est sed et monasteriis iam fundatis applicatum quae itaque a iurisdictione episcopi subtracta et immediate patriarchae subiecta sunt. In hoc enim ius stauropegiacum praesertim existit quod illa iura quae in coeteris monasteriis episcopo loci spectant hic patriarchae reservantur, non tamen plane eodem modo ac exemptio in iure latino sed potius per aliquam formam extraterritorialitatis eo quod monasteria, vel reliqua quae eiusdem privilegio fruuntur, ut ecclesiae, hospitia etc. tamquam territoria episcopi loci potestati subtracta habeantur. Haec stauropegia non est confundenda cum religionibus iuris patriarchalis de quibus infra.

* * *

Haec omnia institutionibus monachorum propriam physionomiam tribuunt easque a iure coeterorum religiosorum distinguunt. Sed etiam reliqua vita religiosa, quae cetero similis fere est ac ea quae in iure latino describitur, in Motu proprio quaedam haud spernenda characteristica prae se fert, quorum praecipua hic indicare liceat quin de completa analysi cogitare possimus.

In pluribus de his religiosis, non absolute, sed relatione habita ad monachos tractatur ut iam de ipsa definitione vitae religiosae notavimus in qua omittitur notio vitae communis dum tantum de societate mentio fiat.

Magis dependenter a statu monachali ordines describuntur ut religiones ubi vota « votis monachorum aequiparantur » (can. 314).

Dein in definienda religione iuris eparchialis, non inconsulte, ut videtur, mentio omissa est decreti laudis quod in codice iuris canonici latini ut principale habetur cum talis, nempe dioecesana sit haec religio quae « hoc decretum laudis nondum obtinuit » (C. I. C. c. 488. 3°); in Motu proprio e contra, directe dependentia ab episcopo indicatur « si ab episcopo erecta, ei ad normam canonum subditur » (can. 312 § 2. 1°). Est enim traditio in Oriente religiosos de se dependere ab episcopo: hos sane in primis de monachis valet, sed regula plerumque omnibus religiosis applicabatur, quamvis in praxi quaedam essent exceptiones.

Haec regula generalis dependentiae ab episcopo secundum adiuncta intelligi potest nam unice monasteria condebantur antiquitus, quae itaque omnino intra limites unius eparchiae tenebantur: stauropegia, de qua supra, exceptionem proprie dictam ad hanc regulam constitutere non videtur cum ipsum monasterium aliquo modo habebatur ut territorium factum Patriarchae. Exceptiones potius constituerunt haud pauca monasteria quae ne-

que episcopo neque patriarchae iurisdictionem agnoscebant, sed solum imperatorem superiorem habebant, vel tandem a nulla auctoritate, neque ecclesiastica, neque civili dependebant, ita volente fundatore. Sane hic abusus mox supressus est sed indicat forte dependentiam ab episcopo non ut essentiale elementum constanter habitum esse.

Romanus Pontifex ex parte sua nonnisi raro in quaestiones disciplinares in Oriente interveniebat. Postea autem, et quidem a variis saeculis, antequam maior pars ecclesiarum orientalium se cum Ecclesia Romana uniret, religiosi ordinum exemptorum in his regionibus ministerium apostolicum exercebant cum privolegio exemptionis. Huius privilegii, quo erant in possessione, non privati sunt eo quod Romani Pontifices privilegia patriarcharum agnoverint (cfr. can. 5 § 1). Sed et Potestas Suprema etiam in Oriente suam iurisdictionem immediatam et directam exercere atque hoc privilegium exemptionis seu exclusivae dependentiae ab ipsa Sede Apostolica concedere potest sive ordinibus et congregationibus, sive ipsis monachis, cum eaedem rationes pro ipsis existere possint.

De facto quaedam religiones privilegium exemptionis completae obtinuerunt, ut Basiliani S. Iosaphat apud Ruthenos, Mekhitaristae Armeni, sed occasione huius concessionis S. C. de P. F. explicite mentionem fecit de principio generali vigente in Oriente secundum quod religiosi omnes episcopis subduntur (S. C. de P. F. decr. 22-II-1877).

De pluribus aliis dubium erat cum ipsi potestatem exercebant ut propriam quae potius exemptis tantum competebat. De facto tales facultates non necessario completam exemptionem supponebant, quae ceteroquin in aliis rebus non probabatur, quare in singulis exemptio probanda erat cum praesumptio staret pro iure communi seu pro dependentia ab episcopo.

In iure hodierno Motu proprio similes facultates nunc haberi possunt quin eo ipso sequatur exemptio stricte di-

cta. Nam praeter exemptos aliae quoque religiones quamdam potestatem iurisdictionis habent « in utroque foro » sed tantum in casibus iure expressis (can. 26 § 2. 2°).

Habent nunc quoque Superiores maiores religionum, secundum statuta, facultatem dandi litteras dimissoriales ad recipiendos ordines maiores post professionem perpetuam, vel post sexennium in religionibus sine votis perpetuis (can. 131). Consequenter, tali modo professi, amittunt dioecesim originis (can. 121) et in casu saecularisationis quaerere sibi debent episcopum benevolum (can. 192).

* * *

In materia de confessione quaedam alia suum momentum habent.

Confessarius occasionalis quoad religiosas, extra locum legitime confessionibus mulierum adsignatum, illicite quidem, nisi in aliquo casu extraordinario graves adsint rationes, sed valide audit confessionem religiosae si reliquae conditiones adsunt (can. 54) inter quas conditiones non requiritur ut confessarius sit « pro mulieribus » approbatum; haec enim distinctio nullibi in Motu proprio occurrit (can. 54; 55).

Etiam de casibus in religione reservatis Motu proprio mentionem non facit, cum haec reservatio in antiquo iure Orientalium non existeret.

Tandem ad alias materias quod spectat, notare possumus quod nempe Superior localis de se instituitur ad tempus non ultra sexennium, qua regula tempus concessum ad normam iuris latini duplicatur. Potest iterum assumi ad aliud sexennium (can. 32).

De transitu novitii ab una classe ad alium, ubi existunt duae sodalium classes, non unica regula applicatur sed servari debet ius particulare (can. 91).

Item pro novitiis Motu proprio introduxit possi-

bilitatem professionis religiosae in articulo mortis (can. 106 § 3).

Stabilitur praecedentia ritus supra ius confessarii administrandi Viaticum et reliqua monialibus, eo quod « advocari debet » nisi obstet gravis causa sacerdos eiusdem ritus (can. 46 § 2. 2°).

Clausurae lex mitius aliquanto applicatur. In primis de lege stricte papali quaestio non fit. Dein dispensare possunt Superiores maiores apud monachos, certis sub conditionibus (can. 141). Apud mulieres vero, ubi viget clausura strictior, quae tamen neque ibi papalis est, excluduntur tantum personae alterius sexus. Eam ingredi possunt Patriarcha in monasteriis sui ritus ubique terrarum, Archiepiscopus intra suum territorium; Episcopus loci aut Superior religiosus monasterium visitantes et Hierarcha loci quoties partes sui pastoralis officii id requirant. Gravi de causa hierarcha loci a lege clausurae dispensare potest (can. 143). Praeterea quoad clasuram activam « religiosis mulieribus non licet praeterquam ob gravem causam e domo exire quovis praetextu et sine licentia Hierarchae loci, quae, si necessitas urgeat nec tempus suppetat licentiam petendi, iure praesumitur » (can. 145).

In quibusdam aliis disciplina religiosa apud Orientales forte aliquantum severior facta est ut de religiosis ad dignitatem episcopalem provectis, qui nempe olim ut soluti votis practice habebantur, nunc autem religiosi manent (can. 176 § 1) secundum rectiora principia etiam iuris orientalis.

Orientalibus nunc etiam applicantur restrictiones poenales quibus a certis beneficiis, officiis, muneribus, titulis arcentur religiosi professi ad saeculum regressi (can. 193).

Coetera plura ex Motu proprio omnino regulantur secundum disciplinam dispensationum.

* * *

Ius religiosorum, ut se habet ex Motu proprio, certo maiore amplitudine gaudet in Motu proprio quam habet tam in iure Orientalium antiquo vel in ipso Codice Iuris latini. Sperandum fore ut ipse coetus religiosorum rituum orientalium in dies et numero et merito augeatur in Domino.

A. Wuyts S. I.

DOCTRINA MORALIS DE RECENSIONE LIBRORUM

Librorum recensio seu iudicium de aliquo libro publici iuris factum in quodam fasciculo periodico aut folio diario est actus qui multiplicem habet aspectum moralem. Quapropter utile videtur doctrinam de moralitate huius actus et de modis quo ille, qui libri recensionem conficit peccare potest, exponere. Quantum scio, haec materia rarissime, ne dicam numquam, est tractata, saltem modo pleniori. In theologiae moralis manualibus locus tractandi eam esset pars, ubi sermo esse solet de praeceptis statuum vitae et de officiis specialibus (inter quae agitur de obligationibus et peccatis omnibus scilicet clericis et laicis communibus, e. g. de obligationibus iudicis, testis, rei in tribunali citati, notarii, etc.). Attamen omissio capitis specialis de obligationibus et peccatis quae ad munus recensoris spectant immerito vocaretur defectus. Manualia non possunt de omnibus in speciali agere. Indolis tamen specialis actus, qui est recensio librorum, commendat ut aliis locis de eo quaedam dicantur.

Recensionis Natura

Actus, qui designatur nomine recensionis, est principaliter actus iustitiae. Non tamen habet indolem simplicem sicut e. g. venditio aut locatio. Etenim, recensio libri plures habet aspectus iuridicos et insuper est obiectum aliarum virtutum, e. g. veritatis seu sinceritatis in loquendo. Est enim *iudicium* verbis prolatum.

Recensio libri est actus qui natura sua plures respicit personas, quae non eodem modo se habent in hoc negotio. Recensio tangit libri auctorem; sed etiam editorem et venditores; deinde personas quae recensionem legunt seu ho-

mines quos edocere quibusque culturam praebere intendit periodicum vel folium, in quo recensio divulgatur. Aliqualiter praeterea recensionis conscriptor obligationem habet erga periodici aut folii directorem.

Officium recensendi aliquem librum assumitur quodam contractu, saltem implicito: *do ut facias*. Editor mittit librum, aliquando rogatus (et tunc obligatio ex contractu est strictior), saepe motu proprio. Libri missi acceptatione ex parte directoris periodici oritur contractus ideoque obligatio iuridica directoris erga editorem, aliqualiter etiam erga auctorem; obligatio scilicet curandi ut recensio fiat. Librum tradens personae idoneae quae illum hoc fine acceptat, director suae obligationi non ex toto satisfacit. Ipsi enim semper incumbit officium curandi ut recensio fiat, vigilando et insistendo ut ille, qui librum accepit, recensionem absolvat et quidem tempore debito; eamque directori tradat; cuius tunc est curare ut ipsa periodico divulgetur.

Evidens est obligationi contractae non satisfieri quacumque recensione. Recensio debet esse recte facta. Ad hoc omnes modo enumerati strictum habent ius. Usu et consuetudine (quam omnes cognoscere debent qui huiusmodi contractus saltem implicitos ineunt) hodie recensio petitur et ab alia parte assumitur non solum in favorem scientiae et culturae, sed etiam in favorem commercii seu ad utilitatem pecuniariam, praecipue editoris et librariorum utique, sed aliquo modo etiam auctorum, cui denegare nemo potest ius ad illam partem lucri ex editione orti, quae constituit iustam compensationem (honorarium) pro labore peracto. Ne librorum auctores quidem possunt solo honore vivere, et utpote quibus applicatur illud verbum aristotelicum: prius est vivere quam philosophari. Quare, tam omissione aut nimia dilatione recensionis, quam recensione male facta laedi possunt iura tam materialia quam idealia sive auctoris sive editoris.

Usu et moribus hodie receptis etiam inter lectores,

qui solvunt pretium periodici et eos qui in illo divulgant recensiones librorum datur aliqua relatio iuridica, qua fundatur in collaboratoribus obligatio pro posse seu adhibitis mediis ordinariis aptis praebere lectoribus veritatem et culturam; et talem instructionem ut possint cum prudentia utentes recensionibus insertis alios libros emere aliorum emptionem emittere, quin damnum patiantur.

Deinde recensio libri est iudicium seu sententia prolata externe. Independenter ab obligatione iustitiae erga quemcumque verba prolata debent esse vera seu non mendacia; debent esse menti seu iudicio interno conformia, non contraria.

Regulae bonae recensionis

Ex fine operis seu fine recensioni proprio sequitur ut in ipsa principaliter ea referri debeant quae sunt necessaria vel utilia ut personae, quae eam legunt, *valorem libri* cognoscant. Valorem scilicet aut scientificum aut artisticum aut technicum seu practicum, et saepe etiam valorem moralem prout indolis libri hoc exigit.

Recensio non ordinatur ad demonstrandam lectoribus scientiam vel eruditionem ipsius recensoris. Quare omittenda sunt omnia quae exclusive vel fere exclusive ad hunc scopum ordinantur. Tentatio contrarium agendi facile apprehendit recensorem, sed est vincenda. Evitanda est (utpote *non ad rem* in recensione) enumeratio, accurata et faticosa investigatione confecta, omnium defectuum, errorum, omissionum, etc. Evitanda etiam enumeratio sententiarum, opinionum, argumentationum, probationum, etc. quae in nullo deficinut quam in hoc quod non congruunt cum gustu aut opinionibus recensoris. Sane, in rebus magni momenti errorum vel defectuum designatio laudabiliter fit, ad utilitatem scilicet veram lectorum, e. g. ne decipiantur aut in errorem ducantur quoad doctri-

nam necessariam ut vitam propriam vel socialem dirigere recte possint, aut quando huiusmodi error notabiliter influit in *valorem* ipsius libri. Huiusmodi elenchus errorum aut defectuum nequidem iustificatur motivo quod vocari solet necessitas promovendi scientiam. Nam primo: hoc bonum, quamvis res magni sane momenti, non est proprie finis ad quem ordinatur recensio libri. Deinde, proprie in recensionibus hoc bonum non valde promovetur, eo quod hodie in usu est, et ni fallor laudabili, ut auctor ad recensiones sui proprii libri non respondeat ad defendenda ea quae scripsit. Discussiones ad promovendam scientiam in se utiles, fiant in libris et periodicorum articulis; non in recensionibus librorum.

Ut evitanda etiam designetur oportet methodus odiosa et non raro iniuriosa qua circa res, quas auctor libri tractat aut argumentis propugnat magno labore et mentis applicatione confectis in recensione notatur: « de veritate huius assertionis in dubio versamur » aut « ad plura posuimus signum interrogationis », aut similia. Huismodi enim locutionibus uti solent praecipue ii, qui recensiones scribunt quin sint vere versati in materia speciali de qua agit liber. Odiosum et iniuriosum voco hoc systema, quia isti modi loquendi nati sunt ut in errorem ducant lectores, quin censor se exponat ullo periculo se compromittendi etiamsi erret aut ignoret. Nam qui hiusmodi locutiones legit fere semper eas intelligit ut auctori libri contrarias aut reprehensivas. Non facile lectores ratiocinantur: « dubia apud censorem orta causam habere possunt in defectu operi inhaerenti, sed etiam in defectu competentiae aut laboris ipsius recensoris; imo probabilius hoc ultimum admitti debet, nam fere semper ille, qui librum legit, est minus versatus in materia quam auctor qui librum conscribens per longum tempus et intense se materiae et argumentis applicavit ». Censor autem dubia movens et interrogationes faciens se subtrahit omni periculo ut teneatur rationem reddere de suo iudicio quod auctori nocet.

Verum enim manet et ad hoc potest appellare: se proprie nihil facere nisi interrogare et dubia movere. Non arguit auctorem de errore aut de insufficientia argumentorum allatorum, etc. In iudicio ferendo de valore alicuius libri attendendum est etiam ad finem, quem auctor libro suo intendit attingere. Modus et methodus tractandi; iustus numerus servandus in quaestionibus proponendis et omittendis, debent iudicari secundum finem concretum huius libri. Iste finis non est idem pro quodlibet libro, de eadem materia agente. In libro manuali theologiae moralis deesse possunt laudabiliter quae non omitti possunt in tractatu speculativo de eadem disciplina, aut in monographia de uno obiecto ex theologia morali. Similiter sive quantum ad res quae tractari debent, sive quantum ad methodum tractandi eas. liber philosophicus de iure agens alio modo est componendus si scribatur eo fine ut iuristis cultura philosophica carentibus praebeantur saltem principales nationes philosophicas circa obiectum proprii studii, alio modo si scribatur pro philosophis modernis non scholasticis. Ad hoc non attendentes recensores non rare committunt errores iniuriosos, vituperantes auctorem quia liber non satisfacit exigentiis tractatus prout recensori magis placuisset, quia ipse scripsisset propter alium finem, sed quem scribere noluit neque debuit auctor, quia alium finem sibi proposuit et sibi proponere debuit.

Nec omittant recensionum scriptores attendere ad adagium sapientissimum: « pluribus modis bene fit », ne recensiones conscribant plus minusve secundum criterium: « liber non est laudandus si non est confectus modo quo ego illum scripsissem ». Qui plura iam opera publici iuris fecerunt experientia sciunt, saepe non dependere ab ipso libro utrum recensio sit favorabilis an adversa, etiamsi recensionis causa liber non mittatur nisi viris competentibus, sed a statu mentis recensoris. Sane, omnino evitari nequit ut in labore ita personali peragendo non influant elementa subiectiva. Sed nobis videtur quod recensiones

inter se aliquando enormiter differentes evitarentur si earum scriptores magis attenderent ad normas obiectivas et magis conarentur excludere elementa subiectiva [1].

Quaestio, hic absque animo maligno proposita, moveri debet. Habetne recensionem scripturus obligationem legendi librum? Qui hac in re nulla pollet experientia forsitam exclamabit: quomodo quis scribere potest recensionem libri quem non legit? Sed hisce verbis non manifestat nisi suam nimiam simplicitatem. Contingit ut in libro, directori periodici misso, insertum inveniatur folium ab ipso editore aut ab auctore confectum, quo liber laudatur. Aliquando folium refert recensiones iam ab aliis evulgatas ipsi libro laudem deferentes aut saltem earum partes, omissis si habeantur partibus quae sunt libro adversae. Plures legi recensiones, quae ex toto aut fere ex toto desumptae erant ex hisce foliis. Hoc non certo probat sed valde probabile reddit personam quae recensionem confecit non legisse librum ipsum. Sub specie recensionis lectoribus offerre huiusmodi enuntiationes videtur fraus, tamen non pia. In genere dicendum videtur recensionem fieri non posse modo licito et digno nisi recensionis auctor librum legerit, saltem pro magna parte ita ut moraliter

---

[1] Hic autem iudicii obiectivi defectus non solum quandoque contristat auctorem, sed aliquando ei praebet utilem et iucundam animi recreationem. Aliquo die eadem ut aiunt missione postali duo accepi periodica, in mea patria edita. In utroque legi recensionem de iisdem fasciculis (brochures) a me publici iuris factis, de re morali aut canonica agentibus et ad eandem pertinentibus seriem. Recensores ad eandem pertinebant nationem et ordinem religiosum (non illum, ad quem ipse pertineo). Primus scribit « haec fasciculorum series verae providet utilitati populi et iam a multo tempore desiderabatur, etc. ». Alius sic incipit « quaerimus ad quid utile hanc fasciculorum seriem edere; nulli providet verae necessitati ». Huiusmodi iudiciorum discrepantia auctori sapienti non paululum prodest. Confirmat eius animum et prohibet ne metu recensionum a labore desistat. Nam optime manifestat valorem plurium recensionum.

certus sit de veritate sui iudicii sive hoc faveat libro sive sit ei adversum.

Peccata quae in recensione conscribenda committi possunt

Recensionis auctor habet obligationes ideoque peccare potest sive opere sive omissione erga plures scilicet:

1. Erga editorem libri.
2. Erga auctorem libri.
3. Erga lectores periodici in quo recensio divulgatur.

De hisce ex ordine breviter est agendum.

1. *Peccata erga libri editorem.*

a) Contra virtutem iustitiae peccat qui librum sive recensionis causa petitum sive sponte oblatum acceptat et deinde recensionem debitam aut omnino omittit aut nimis differt. Ipse enim privat editorem lucro, quod recensionibus debito tempore factis ei obvenire solet. Praxi constat recensionem alicuius libri boni et utilis multum conducere ad eius venditionem. Ad hoc adiumentum valoris commercialis editor habet ius acquisitum contractu implicito « do ut facies », quem librum acceptando alter cum eo iniit. Pondus peccati a multis dependet circumstantiis, e. g. a pretio libri, a valore seu qualitate libri, ab influxu favorabili quem habebit recensio sincere facta in venditionem; ab indole libri comparata cum indole periodici in quo recensio divulgari debet, etc.

b) Contra virtutem iustitiae et non semper peccato levi peccat contra editorem qui sive ex malitia sixe ex defectu scientiae aut applicationis recensionem scribit et publici iuris facit non sincéram aut non veram et simul libro adversam.

2. *Peccata contra libri auctorem*

a) Peccatum iniustitiae etiam erga auctorem libri committit ille, qui librum acceptavit et recensionem prorsus omittit aut nimis differt. Privat enim auctorem adiumento valorem habente temporali ad quod ipse ex contractu implicito habet ius.

b) Peccatum iniustiae erga auctorem non leve committit qui iudicium reprehensivum divulgationi tradit de cuius obiectiva veritate non habet moralem certitudinem. Huius peccati, reus est non tantum ille, qui sic agit ductus odio vel aversione vel spiritu vindicationis, sed etiam ille qui sic procedit sub influxu invidiae sive erga ipsam personam auctoris sive erga coetum seu societatem ad quam pertinet; deinde etiam ille qui sic agit ex negligentia in legendo et studendo aut defectu competentiae in iudicando de libri valore. Nec ex toto excusatur ille, qui suum iudicium reprehensivum aut alio modo auctori nocivum praebet modis dicendi dubiis, qui tamen ut in pluribus ut reprehensivi a lectoribus intelliguntur.

c) Contra iustitiam erga auctorem peccare videtur etiam ille, qui de elementis bonis libri omnino vel fere omnino tacet sed defectus longe et late exponit; ita ut omnia simul sumpta suggerunt lectoribus iudicium veritati non consentaneum in damnum auctoris. Et hoc non tantummodo si sic agit animo auctori adverso, sed etiam si vanitatis causa, ad propriam scilicet ventilandam scientiam aut competentiam.

3. *Peccata erga recensionis lectores*

Erga lectores, quibus offertur recensio, eius conscriptor peccat peccato quod ad iniustitiam pertinet aut reducitur, si iudicium datum et divulgatum sit veritati contrarium, sive quia libri valorem supra modum extollit sive diminuit. Sane, recensionis scriptori non imputantur effectus quos saepe causat divulgatio unius partis et qui-

dem partis faventis librum et auctorem, omissis aliis partibus. Hoc editores facere solent ut libros commendent. Hisce publicationibus applicantur regulae morales quae respiciunt commendationes commerciales (reclame; pubblicità), quae hodie ita sunt ut a nemine ad verba credantur, sed semper cum maximo grano salis accipiantur.

Sed de recensione prout ab ipso recensore scribitur haec nullatenus valent. Huic iudicio lectores merito fidem praestant et si in ipso valor libri maior vocatur quam reapse est, lectores decipiuntur et emendo librum damnum patiuntur. Huiusmodi iudicium nimis laudans vel extollens libri valorem non cohonestatur amicitia erga auctorem vel editorem nec alio fine bono. Qui non audet veritatem sincere proferre, declinet a recensione facienda

Dr. L. Bender O. P.

MONUMENTA

1 - Constitutio Apostolica

De disciplina servanda quoad ieiunium eucharisticum

(*A. A. S.*, XXXXV [16 ian. 1953] p. 5)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

1. - Christus Dominus, « in qua nocte tradebatur »[1], (15)
cum postrema vice veteris Legis celebravit Pascha, coena facta[2], accepit panem, et gratias agens fregit, deditque discipulis suis dicens: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur »[3]; itemque calicem eis porrexit asseverans: « Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur »[4], « Hoc facite in meam commemorationem »[5]. Quibus ex Sacrarum Litterarum locis omnino patet Divinum Redemptorem ultimae huic paschali celebrationi, in qua agnus ex Hebraeorum ritibus manducabatur, voluisse substituere novum Pascha, ad saeculorum usque obitum permansurum, esum videlicet immaculati Agni, immolandi pro mundi vita, ita ut novum Pascha novae Legis Phase vetus terminaret, et umbram fugaret veritas[6].

---

* Numeri in parenthesibus positi significant paginas *A. A. S.*

1 *I Cor.* XI, 23.

2 Cfr. Luc., XXII, 20.

3 *I Cor.*, XI, 24.

4 Matth., XXVI, 28.

5 Cfr. *I Cor.*, XI, 24-25.

6 Cfr. hymn. *Lauda Sion* (Missale Rom.).

2. Quandoquidem autem utriusque coenae eiusmodi coniunctio idcirco habita fuit, ut ex antiquo Paschate ad novum significaretur transitus, facile perspici potest cur Ecclesia, in Eucharistico Sacrificio ex Divini Redemptoris iussu in eius commemorationem renovando, a veteris agapes more discedere potuerit, et Eucharisticum ieiunium in usum inducere.

3. Etenim inde ab antiquissima aetate consuetudo in-
(16) valuit Eucharistiam christifidelibus ieiunis administrandi [7]. Saeculo autem exeunte quarto iam in variis Conciliis ieiunium iis praecipiebatur, qui Eucharisticum celebraturi essent Sacrificium. Itaque anno CCCLXXXXIII Hipponense Concilium haec decrevit: « Sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur » [8]; quod praeceptum paulo post, hoc est anno CCCLXXXXVII, ex Carthaginensi Concilio III iisdem verbis edebatur [9]; ac saeculo ineunte quinto haec consuetudo satis communis et immemorabilis dici potest; quamobrem S. Augustinus affirmat sanctissimam Eucharistiam a ieiunis semper accipi itemque per universum orbem morem istum servari [10].

4. Procul dubio haec agendi ratio gravissimis innitebatur causis, in quibus ea ante omnia memorari potest, quam Apostolus gentium lamentatur, cum de fraterna christianorum agape agit [11]. Etenim cibo potuque se abstinere cum summa illa reverentia congruit, quam supremae Iesu Christi maiestati debemus, cum eum Eucharisticis delitescentem velis sumpturi sumus. Ac praeterea, dum, ante quodlibet alimentum, eius pretiosissimo Corpore ac Sanguine vescimur, luculenter demonstramus illud esse primum ac summum nutrimentum, quo animus ala-

---

[7] Cfr. Ben. XIV, *De Syn. Dioec.*, l. 6, c. 8, n. 10.

[8] Conc. Hipp., can. 28; Mansi, III, 923.

[9] Conc. Carth. III, cap. 29: Mansi, III, 885.

[10] Cfr. S. *August.*, *Ep. LIV ad Ian.*, cap. 6: Migne, *PL*, XXXIII, 203.

[11] Cfr. *I Cor.*, XI, 21 sq.

tur noster eiusque augeatur sanctitas. Quapropter idem Augustinus haec monet: « Placuit Spiritui Sancto ut in honorem tanti Sacramenti in os christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam ceteri cibi » [12].

5. Neque debitum solummodo honoris munus hoc ieiunium Divino tribuit Redemptori, sed pietatem etiam fovet; ideoque ad saluberrimos illos sanctitatis fructus augendos conferre potest, quos bonorum omnium fons et auctor Christus a nobis, gratia ditatis, elici postulat.

6. Nemo ceteroquin est, qui experiundo non agnoscat ex ipsis humanae naturae legibus contingere ut, cum corpus cibo oneratum non sit, mens erigatur agilior, atque impensiore moveatur virtute ad arcanum illud excelsumque meditandum mysterium, quod in animo, tamquam in templo, agitur, divinam adaugens caritatem. (17)

7. Quanta cura Ecclesia Eucharisticum ieiunium servandum curaverit ex eo etiam erui potest, quod illud, gravibus quoque poenis violatoribus impositis, imperavit. Etenim Concilium Toletanum VII, anno DCXXXXVI, excommunicationem ei comminatum est, qui non ieiunus sacris fuisset operatus [13]; anno autem DLXXII Concilium Bracarense III [14], et anno DLXXXV Concilium Matisconense II [15] iam decreverant eum, qui huius rei evasisset reus, de sui muneris honorisque sede deponendum esse.

8. Attamen, volventibus saeculis, illud quoque diligenter consideratum est, interdum nempe esse opportunum, ob peculiaria rerum adiuncta, hanc ieiunii legem, ad christifideles quod attinet, aliquatenus relaxare. Quam ad rem Constantiae Concilium, anno MCCCCXV, dum eiusmodi sacrosanctam legem confirmat, addit quoque quoddam temperamentum: « ...sacrorum canonum aucto-

---

12 S. AUGUST., l. c.

13 Conc. Tolet. VII, cap. 2: MANSI, X, 768.

14 Conc. Bracar. III, can. 10: MANSI, IX, 841.

15 Conc. Matiscon. II, can. 6: MANSI, IX, 952.

ritas, laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel Ecclesia concesso vel admisso »[16].

9. Placuit haec in memoriam ea de causa reducere, ut omnes perspectum habeant Nos, quamvis novae temporum rerumque condiciones suadeant ut non paucas facultates ac venias hac in re concedamus, velle tamen per Apostolicas has Litteras summam huius legis consuetudinisque vim confirmare ad Eucharisticum quod attinet ieiunium; ac velle etiam eos admonere, qui eidem legi obtemperare
(18) queant, ut id facere pergant diligenter, ita quidem ut ii solummodo, qui in necessitate versentur, hisce concessionibus frui possint secundum eiusdem necessitatis rationes.

10. Suavissimo Nos solacio afficimur - quod libet heic, etsi breviter, declarare - cum pietatem cernimus erga Augustum altaris Sacramentum cotidie magis increbrescere non modo in christifidelium animis, sed ad divini cultus etiam splendorem quod pertinet, qui ex publicis populorum manifestationibus saepenumero emicat. Quam ad rem haud parum procul dubio contulere sollicitae Summorum Pontificum curae, ac praesertim Beati Pii X, qui quidem, ad priscam Ecclesiae consuetudinem renovandam omnes advocans, eos adhortatus est, ut quam creberrime, immo cotidie si possent, ad Angelorum mensam accederent[17]; ac parvulos quoque ad caeleste hoc pabulum invitans, sapienti consilio statuit praeceptum sacrae Confessionis sacraeque Communionis ad eos singulos universos spectare, qui iam ad rationis usum pervenissent[18];

---

16 Conc. Constant., sess. XIII: MANSI, XXVII, 727.

17 S. Congr. Concilii, Decretum *Sacra Tridentina Synodus*, d. d. XX mensis Decembris, an. MCMV: *Acta S. Sedis*, XXXVIII, 400 sq.

18 S. Congr. de Sacramentis, Decretum *Quam singulari*, d. d. VIII mensis Augusti, an. MCMX: *Acta Ap. Sedis*, II, p. 577 sq.

quod etiam in iuris canonici Codice sancitum est [19]. Hisce Summorum Pontificum curis christifideles ultro libenterque respondentes, ad sacram Synaxim frequentiores usque accessere. Atque utinam haec caelestis Panis fames divinique Sanguinis sitis in omnibus cuiusvis aetatis hominibus in omnibusque civium ordinibus exardescant!

11. Animadvertendum tamen est ea quibus vivimus tempora eorumque peculiares condiciones multa in societatis usum in communisque vitae actionem induxisse, ex quibus graves difficultates oriantur, quae possint homines a divinis participandis mysteriis abstrahere, si Eucharistici ieiunii legi eo prorsus modo ab omnibus obtemperandum sit, quo ad praesens usque tempus obtemperandum erat.

12. Imprimisque patet omnibus clerum hodie ingravescentibus christianorum necessitatibus numero imparem (19)
esse; qui quidem festis praesertim diebus nimium saepe laborem tolerare debet, cum serius Eucharisticum Sacrificium ac non raro etiam bis vel ter celebrare debeat, cumque interdum officio quoque teneatur longinquum faciendi iter, ut sacra ne desint haud parvis sui gregis partibus. Enervantes eiusmodi apostolici labores sacerdotum valetudinem procul dubio debilitant; idque eo vel magis quod non modo Missae litandae cum Evangelii explicatione, itemque sacris Confessionibus audiendis, catechesi impertiendae, ceterisque sui muneris partibus increscenti studio increscentique opera vacare debent, sed iis etiam rationibus rebusque diligenter prospicere ac consulere, quas asperum illud certamen adversus Deum eiusque Ecclesiam postulat, tam late hodie, tam callide acriterque excitatum.

13. At mens animusque noster ad eos potissimum advolat, qui procul a patria cuiusque sua, in longinquis operantes terris, huic Divini Magistri invitationi iussionique

---

[19] C. I. C., can. 863; cfr. can. 854, § 5.

generosi responderunt: « Euntes ergo docete omnes gentes »[20]; ad Evangelii praecones dicimus, qui,, gravissimis etiam exantlatis laboribus atque itinerum difficultatibus omnes genus superatis, eo omni nisu contendunt, ut christianae religionis lumen omnibus pro facultate affulgeat, utque suos greges, saepenumero a catholica suscepta fide adhuc recentes, angelico illo enutriant cibo, qui virtutem alat pietatemque refoveat.

14. Iisdem fere in rerum adiunctis ii quoque christifideles versantur, qui vel in non paucis regionibus a catholicis Missionalibus excultis, vel in aliis locis commorantes, cum proprium apud se non habeant sacrorum administrum, alterius sacerdotis adventum in seras horas expectare debent, ut Eucharisticum participare queant Sacrificium, seseque divino enutrire pabulo.

15. Ac praeterea, postquam machinae omne genus in usum inductae fuere, saepissime contingit ut opifices non
(20) pauci vel officinis, vel vehicularibus maritimisque muneribus, vel aliis publicae utilitatis officiis addicti, non modo per diem sed per noctem etiam alternis iteratisque laboris vicibus occupentur, ita quidem ut debilitatae eorum vires eos interdum compellere possint ad aliquid nutrimenti accipiendum, atque adeo iidem impediantur quominus ad Eucharisticam mensam ieiuni accedant.

16. Ad hanc eamdem mensam matres quoque familias saepenumero venire nequeunt, antequam domesticis curis prospexerint, quae multas saepe ab eis postulant laboris horas.

17. Parique modo evenit ut in puerorum puellarumque scholis ac litterarum ludis plurimi habeantur, qui divino illi invitamento respondere cupiant: « Sinite parvulos venire ad me »[21], cum fore omnino confidant ut il-

---

[20] Matth., XXVIII, 19.
[21] Marc., X, 14.

le, qui « pascitur inter lilia » [22] suum ipsorum animi candorem morumque integritatem contra iuvenilis aetatis illecebras ac mundi insidias tutetur; verumtament perdifficile interdum iisdem est, antequam ad scholam se conferant, sacras adire aedes ibique sese Angelico enutrire Pane, postea vero domum redire ut necessarium suscipiant nutrimentum

18. Hoc praeterea animadvertendum est saepe hodie contingere ut frequentissimae populi multitudines ex alio ad alium locum postmeridianis horis ea de causa transgrediantur, ut religiosas celebrationes, vel coetus de re sociali habendos participent; si igitur hisce etiam datis occasionibus liceat Eucharisticum peragere Mysterium, quod divinae gratiae vitalis fons est voluntatesque iubet ad virtutem adipiscendam exardescere, haud dubium est inde vim hauriri posse, qua omnes ad christiane penitus sentiendum operandumque excitentur, et ad legitimis etiam obtemperandum legibus.

19. Peculiaribus hisce considerationibus haec adicere opportunum videtur, quae ad omnes spectant; quamvis nempe nostris hisce temporibus ars medica ac disciplina illa, quae hygiene dicitur, tantos progressus fecerint, tantumque contulerint ad mortuorum numerum in puerili (21)
praesertim aetate minuendum, nihilo secius praesentis vitae condiciones atque ea, quae ex immanibus huius saeculi bellis consecuta sunt incommoda, eiusmodi sunt, ut non parum corporum constitutionem valetudinemque debilitaverint.

20. Hisce de causis, quo praesertim experrecta in Eucharistiam pietas facilius augeatur, e variis Nationibus Episcopi non pauci, officiosis datis litteris petiere, ut haec ieiunii lex aliquantulum mitigaretur; atque iam haec Apostolica Sedes peculiares hac in re facultates ac venias

---

[22] *Cant.*, II, 16; VI, 2.

sacrorum administris ac christifidelibus benigne concessit. Ad quas concessiones quod attinet, memorare libet Decretum, quod *Post Editum* inscribitur, a S. Congregatione Concilii die VII mensis Decembris, anno MCMVI, pro infirmis datum [23]; ac Litteras die XXII mensis Maii, anno MCMXXIII, Locorum Ordinariis a S. S. C. C. Officii pro sacerdotibus datas [24].

21. Postremis hisce temporibus, Episcoporum haec de re petitiones crebriores impensioresque fuere, atque ampliores pariter fuerunt facultates concessae, eae potissimum quae belli occasione dilargitae sunt. Id procul dubio luculenter indicat novas, graves, non intermissas ac satis generales exstare causas, quibus nimis difficile sit, multiplicibus in rerum adiunctis, cum sacerdotes Eucharisticum sacrificium celebrare, tum christifideles Angelico vesci Pane ieiunos.

22. Quamobrem, ut gravibus hisce incommodis ac difficultatibus occurramus, atque indultorum diversitas in actionum discrepantiam ne cedat, necessarium ducimus Eucharistici ieiunii disciplinam ita mitigando statuere, ut, quam largissime fieri potest, in peculiaribus etiam temporum locorum ac christifidelium condicionibus, eiusmodi legi omnes obtemperare facilius queant. Haec Nos decernentes, fore confidimus ut haud parum conferre possimus ad Eucharisticae pietatis incrementum, atque adeo aptius permovere atque excitare omnes ad Angelorum participandam Mensam, adaucta procul dubio Dei gloria ac Mystici Iesu Christi Corporis sanctimonia.

---

[23] *Acta S. Sedis*, XXXIX, p. 603 sq.

[24] S. S. Congr. S. Officii Litterae locorum Ordinariis datae super ieiunio eucharistico ante Missam: *Acta Ap. Sedis*, XV, p. 151 sq.

23. Haec igitur omnia, quae sequuntur, Apostolica auctoritate Nostra decernimus ac statuimus:

24. I. Ieiunii eucharistici lex, a media nocte pro iis omnibus vigere pergit, qui in peculiaribus condicionibus non versentur, quas per Apostolicas has Litteras exposituri sumus. Principium tamen generale et commune om-

---

2. - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

INSTRUCTIO

DE DISCIPLINA CIRCA IEIUNIUM EUCHARISTICUM SERVANDA

(*A. A. S.* XXXXV [16 iun. 1935] p. 47)

Constitutio Apostilica Christus Dominus, *hoc ipso die a Summo Pontifice Pio XII, feliciter regnante, data, largitur quidem non paucas facultates ac dispensationes circa legis ieiunii eucharistici observantiam, sed normas maxima ex parte quoad substantiam quoque confirmat Codicis Iuris Canonici* (*can.* 808 *et* 858, § 1) *impositas sacerdotibus et fidelibus, qui eidem legi obtemperare queant. Attamen hisce etiam extenditur favorabile ipsius Constitutionis primum praescriptum, cuius vi aqua* naturalis (*id est sine ulla cuiuslibet elementi adiectione*) *non amplius frangit ieiunium eucharisticum* (*Const., n. I*). *Quod vero attinet ad ceteras concessiones, iis tantum uti possunt sacerdotes et fideles, qui in peculiaribus versantur condicionibus, de quibus in Constitutione cautum est, vel Missas vespertinas celebrant aut in iisdem sacram communionem recipiunt ex licentia Ordinariorum, intra limites novarum facultatum, quae iisdem tributae sunt.*

Itaque, ut normae ad huiusmodi concessiones pertinentes ubique conformi ratione serventur atque evitetur quaelibet interpretatio, quae concessas facultates amplificet, utque ab omni abusu hac de re caveatur, Suprema

nibus in posterum esto, sive sacerdotibus, sive christifidelibus: aquam videlicet naturalem Eucharisticum ieiunium non frangere.

25. II. Infirmi, etiamsi non decumbant, aliquid sumere possunt, de prudenti confessarii consilio, per modum potus, vel verae medicinae, exceptis alcoholicis. Eadem facultas sacerdotibus infirmis conceditur Missam celebraturis.

---

haec Sacra Congregatio Sancti Officii, iussu mandatuque Summi ipsius Pontificis, statuit quae sequuntur:

Quoad informos sive fideles sive sacerdotes
(Const., n. II)

1. *Fideles infirmi, etiamsi non decumbant, aliquid sumere possunt per modum potus, exceptis alcoholicis, si, suae infirmitatis causa, usque ad sacrae communionis receptionem ieiunium, absque gravi incommodo, nequeunt servare integrum; possunt etiam aliquid sumere per modum medicinae, sive liquidum (exclusis alcoholicis), sive solidum, dummodo de vera medicina agatur, a medico praescripta vel uti tali vulgo recepta. Advertendum autem est, non posse tamquam medicina haberi quodlibet solidum pro nutrimento sumptum.*

2. *Condiciones, quibus quis dispensatione a lege ieiunii frui possit, nulla adiecta ante communionem temporis limitatione, prudenter a confessario perpendendae sunt, neque quisquam sine eius consilio uti potest. Confessarius autem suum consilium dare poterit sive in foro interno sacramentali, sive in foro interno extra-sacramentali, etiam semel pro semper, perdurantibus eiusdem infirmitatis condicionibus.*

3. *Sacerdotes infirmi, etiamsi non decumbant, dispensatione pariter uti possunt, sive sint Missam celebraturi sive sanctissimam Eucharistiam recepturi.*

26. III. Sacerdotes, qui vel tardioribus horis, vel post gravem sacri ministerii laborem, vel post longum iter celebraturi sunt, aliquid sumere possunt per modum potus, exclusis alcoholicis; a quo tamen se abstineant saltem per spatium unius horae, ante quam sacris operentur.

27. IV. Qui autem bis, vel ter Missam celebrent, ab-

Quoad sacerdotes qui in peculiaribus adiunctis versantur (Const., nn. III et IV)

4. *Sacerdotes non infirmi, qui* a) *vel* tardioribus horis (*i. e. post horam nonam*), b) *vel* post gravem sacri ministerii laborem (*v. gr. iam a summo mane seu per longum tempus*), c) *vel* post longum *iter* (*i. e. saltem* 2 *km. pedibus percurrendum, vel proportionate longius pro variis vehiculis adhibitis, difficultatis quoque itineris vel personae habita ratione*), *celebraturi sunt, aliquid sumere possunt per modum potus, exclusis alcoholicis.*

5. *Tres casus supra numerati tales sunt, ut omnia comprehendant rerum adiuncta, in quibus legislator praefatam facultatem concedere intendit ideoque quaelibet vitetur interpretatio quae facultates concessas amplificet.*

6. *Sacerdotes, qui in hisce adiunctis versantur aliquid sumere possunt per modum potus semel vel pluries, servato ieiunio unius horae ante Missae celebrationem.*

7. *Praeterea omnes sacerdotes, qui bis vel ter sunt Missam celebraturi, possunt in prioribus Missis duas ablutiones a rubricis Missalis praescriptas sumere, sed tantum adhibita aqua, quae quidem, iuxta novum principium, ieiunium non frangit.*

Qui tamen die Nativitatis Domini vel in Commemoratione omnium fidelium defunctorum tres Missas sine intermissione celebrat, quod ab ablutiones attinet, rubricas observare tenetur.

8. *Si vero sacerdos, qui bis vel ter Missam celebrare*

lutiones sumere possunt, quae tamen, in hoc casu, non vino, sed aqua tantum fieri debent.

28. V. Christifideles pariter, etiamsi non infirmi, qui ob grave incommodum - hoc est, ob debilitantem laborem, ob tardiores horas, quibus tantum ad Sacram Synaxim

---

debet, per inadvertentiam vinum quoque in ablutione sumat, non vetatur quominus secundam et tertiam Missam celebret.

Quoad fideles qui in peculiaribus adiunctis versantur
(Const., n. V)

9. *Fidelibus pariter, qui non infirmitatis causa, sed* ob aliud grave incommodum *ieiunium eucharisticum servare nequeunt, aliquid sumere licet per modum potus, exceptis tamen alcoholicis et servato ieiunio unius horae ante sacrae communionis receptionem.*

10. *Causae autem* gravis incommodi *tres enumerantur, quas extendere non licet.*

a) Labor debilitans *ante sacram communionem susceptus.*

Hoc labore afficiuntur tum opifices, qui, officinis vel vehicularibus maritimisque muneribus vel aliis publicae utilitatis officiis addicti, diu noctuque per vices occupantur; tum illi, qui ex officio vel ex caritate noctem vigilem transigunt (v. gr. valetudinarii, custodes nocturni, etc.); tum mulieres praegnantes et matresfamilias quae, antequam ecclesiam adire queant, in domesticis negotiis per longum tempus incumbere debent; etc.

b) Hora tardior, qua sacra communio recipitur.

Sunt enim haud pauci fideles, qui tantummodo serioribus horis possunt apud se sacerdotem habere, qui sacris operetur; sunt pueri complures, quibus nimis grave est, antequam ad scholam se conferant, ecclesiam adire,

accedere possint, vel ob longinquum iter, quod suscipere debeant - ad Eucharisticam mensam omnino ieiuni adire nequeant, de prudenti confessarii consilio, hac perdurante necessitate, aliquid sumere possunt per modum potus, exclusis alcoholicis; a quo tamen se abstineant saltem per spatium unius horae, antequam Angelico enutriantur Pane.

29. VI. Si rerum adiuncta id necessario postulant, locorum Ordinariis concedimus ut Missae celebrationem

---

angelico pane vesci, postea vero domum reverti, ientaculi sumendi gratia; etc.

c) Longum iter peragendum, *ut ad ecclesiam perveniatur.*

Longum autem hac super re habendum iter, ut supra explicatum est (n. 4), si saltem 2 km. circiter pedibus percurrendum, vel proportionante longius pro variis vehiculis adhibitis, difficultatis quoque itineris vel personae habita ratione.

11. *Causae quidem gravis incommodi sunt prudenter a confessario pensitandae in foro interno sacramentali vel non sacramentali; neque absque eiusdem consilio fideles non ieiuni sanctissimam Eucaristiam recipere possunt. Confessarius autem consilium eiusmodi dare potest etiam* semel pro semper, *causa eadem gravis incommodi perdurante.*

Quoad Missas vespertinas
(Const., n. VI)

Constitutionis vi Ordinarii locorum (*cfr. can.* 198) *facultate fruuntur permittendi in proprio territorio Missae vespertinae celebrationem, si adiuncta id necessario exigunt, praescripto can.* 821, § 1, *non obstante. Bonum enim commune aliquando sacrorum mysteriorum celebra-*

vespertinis, ut diximus, horis permittere queant, ita tamen ut haec initium non habeat ante horam IV post meridiem, sive in festis de praecepto, quae adhuc vigent, sive in illis quae olim viguerunt, sive primis uniuscuiusque mansis feriis sextis, sive denique in illis sollemnibus, quae cum magno populi concursu celebrentur, atque etiam, praeter hos dies, semel in hebdomada, servato a sacerdote; ieiunio trium horarum quoad cibum solidum et potus alcoholicos, unius autem horae quoad ceteros potus non alcoholicos. In his autem Missis christifideles ad Sacram

---

tionem post meridiem expostulat: v. gr. pro quarundam industriarum opificibus, qui festis quoque diebus laboribus succedunt in vices; pro illis operariorum classibus, qui matutinis festorum horis occupantur, ut muneribus portuum addicti; pro iis pariter qui ex dissitis etiam regionibus maxima frequentia in unum locum conveniunt, ad quandam festivitatem religiosam vel socialem celebrandam, etc.

12. *Tamen eiusmodi Missae celebrari possunt non ante horam quartam post meridiem, ac tantummodo in certis diebus* taxative *statutis, seu.*

a) *festis de praecepto vigentibus, ad normam can.* 1247, § 1;

b) *festis de praecepto suppressis, iuxta Indicem a S. Congregatione Concilii editum, die* 28 *Decembris* 1919 (*cfr.* A. A. S., *vol. XII* [1920], pp. 42-43;

c) *primis cuisque mensis feriis sextis;*

d) *ceteris sollemnibus, qui cum magno populi concursu celebrantur;*

e) *die uno in hebdomada, praeter dies supra memoratos, si bonum peculiarum personarum classium id postulat.*

13. *Sacerdotes, qui pomeridianis horis Missam celebrant, itemque fideles qui in eadem sacram communionem*

Synaxim accedere poterunt, hac eadem servata norma ad ieiunium Eucharisticum quod attinet, firmo praescripto can. 857.

30. Evangelii autem praeconibus, in territoriis Missionum, peculiarissimis perpensis condicionibus in quibus versantur, ob quas raro plerumque habentur sacerdotes, qui longinquas stationes invisere queant, Locorum Ordinarii eiusmodi facultates concedere poterunt ceteris etiam hebdomadis diebus.

31. Locorum tamen Ordinarii diligenter curent, ut quaelibet vitetur interpretatio, quae concessas facultates

---

recipiunt, possunt inter refectionem, *permissam usque ad tres horas ante Missae vel communionis initium, sumere* congrua moderatione *alcoholicas quoque potiones inter mensam suetas* (*v. gr. vinum, cerevisiam, etc.*), *exclusis quidem liquoribus. Quoad potus autem, quos sumere possunt ante vel post dictam refectionem, usque ad unam horam ante Missam vel communionem, excluditur* omne alcoholicorum genus.

14. *Sacerdotes, eodem die, nequeunt mane et vespere Sacrum litare, nisi potestatem expressam bis terve Missam celebrandi habeant, ad normam can.* 806.

Fideles pariter, eodem die, nequeunt mane et vespere ad sacram Synaxim accedere, ad praescriptum can. 857.

15. *Fideles, quamvis non sint de eorum numero, pro quibus Missa vespertina forte instituta sit, ad sacram Synaxim libere accedere possunt,* infra dictam Missam *vel* proxime ante et statim post (*cfr. can.* 846, § 1), *servatis, quod attinet ad ieiunium eucharisticum, normis supra relatis.*

16. *In locis vero, ubi non* ius commune, *sed* ius missionum *viget, Ordinarii Missas vespertinas omnibus in hebdomada diebus, iisdem condicionibus, permittere possunt.*

amplificet, utque ab omni abusu et irreverentia hac in re caveatur; in hisce enim dilargiendis facultatibus, quas hominum, locorum temporumque condiciones hodie postulant, Nos etiam atque etiam volumus Eucharistici ieiunii momentum, vim atque efficacitatem confirmare ad eos quod attinet, qui Divinum Redemptorem sub Eucharisticis velis latentem accepturi sunt. Ac praetera, quotiescumque corporis incommodum minuitur, animus debet pro facultate rem supplere, sive interna paenitentia, sive aliis modis, ex tradito Ecclesiae more; quae quidem cum ieiunium mitigat, alia opera adimplenda imperare solet. Qui igitur datis hac in re facultatibus perfrui queant, impensiores ad Caelum admoveant preces, quibus Deum adorent, eidem grates agant, ac praesertim admissa expient novaque impetrent superna auxilia. Cum omnes perspectum habeant oporteat Eucharistiam « tamquam passionis suae memoriale perenne » [25] a Iesu Christo institutam fuisse, ex animis sensus illos eliciant christia-

---

Monita ad normas exsequendas

17. *Ordinarii sedulo invigilent, ut omnis abusus et irreverentia erga sanctissimum Sacramentum plane vitetur.*

18. *Pariter curent, ut nova disciplina a cunctis subditis uniformiter observetur, eosque doceant, omnes facultates et dispensationes, tum territoriales tum personales, hactenus a Sancta Sede concessas, abrogatas esse.*

19. *Constitutionis atque huius Instructionis interpretatio textui fideliter adhaereat, neque ullo modo facultates tam favorabiles amplificet. Quod ad consuetudines attinet, quibus a nova disciplina discrepare contingat, clau-*

---

[25] S. Thom., *Opusc. LVII*, Offic. de Festo Corporis Christi, lect. IV, *Opera omnia*, Romae, mdlxx, vol. XVII.

nae humilitatis christianaeque paenitentiae, quos Divini Redemptoris cruciatuum ac mortis meditatio excitare debet. Itemque eidem Divino Redemptori, qui, perpetuo in altaribus se immolans, maximum renovat sui amoris documentum, adauctos offerant omnes suae erga proximos caritatis fructus. Hac profecto ratione conferent omnes ad illud Apostoli gentium cotidie magis explendum: « Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus » [26].

32. Quaecumque autem hisce Litteris decreta continentur, ea omnia stabilita, rata ac valida esse volumus contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis; atque abolitis ceteris omnibus privilegiis ac facultatibus, quomodocumque a Sancta Sede concessis, ut ubique omnes hanc disciplinam aeque riteque servent.

33. Quae quidem omnia, supra statuta, vim suam obtineant a promulgationis die per *Acta Apostolicae Sedis* factae.

---

sula illa abrogativa animadvertenda est: « *contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis* ».

20. *Ordinarii et sacerdotes, qui datis a Sancta Sede facultatibus perfrui debent, fideles studiose excitent, ut frequenter Missae Sacrificio adstare velint et pane eucharistico reficiantur opportunisque inceptis, praesertim sacra praedicatione, illud promoveant spirituale bonum, cuius adipiscendi gratia Summus Pontifex Pius XII Constitutionem edere voluit.*

Summus Pontifex, hanc Instructionem approbans, statuit, ut ipsa promulgetur per editionem in Actis Apo-

---

[26] *I Cor.*, X, 17.

34. Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, die sexta mensis Ianuarii, in Epiphania Domini, Pontificatus Nostri anno quarto decimo.

PIUS PP. XII

---

stolicae Sedis *una cum Constitutione Apostolica* Christus Dominus.

Ex Aedibus Sancti Officii, die VI mensis Ianuarii, anno MDCCCCLIII.

✠ I. Card. PIZZARDO, *a Secretis*

L. ✠ S. A. Ottaviani, *Adsessor*

Annotationes

1. De nova disciplina quoad jejunium Eucharisticum duo edita sunt Documenta authentica: Constitutio Apostolica « *Christus Dominus* » et Instructio S. Officii, utrumque una simul die 6 Januarii 1953 in Actis Apostolicae Sedis promulgatum, vigere incipiens (iuxta NOTAM officialem, publicatam in OSSERVATORE ROMANO die 15 Januarii 1953, pg. 1, col. 1. Nr. 11) inde a die 16 Januarii 1953.

2. *Constitutio Apostolica* post brevem Introductionem (n. 1-2) exhibet in CORPORE duas partes principales, alteram *expositivam* (n. 3-22) tum de pondere et momento jejunii Eucharistici (n. 3-10), tum de causis mitigationum quae conceduntur (n. 11-22), alteram *dispositivam* (n. 23-33). *Instructio S. Officii* item primo exhibet brevem Introductionem quae est de fine et sensu Constitutionis Ap.; dein per quinque capita exponit normas parti-

culares circa exsecutionem Constitutionis, et quidem: 1. quoad infirmos, 2. quoad sacerdotes positos in adiunctis particularibus, 3. quoad fideles, item positos in peculiaribus adiunctis, 4. quoad Missam et Communionem vespertinam, 5. quoad quaedam servanda in exsequendis normis.

3. Commentarium ad duo intendit: primo ad quaedam *principia generalia,* dein ad *normas particulares.* Principia generalia sunt: 1. de mente et voluntate Summi Pontificis in condenda et exsequenda Constitutione Apostolica; nam omnis interpretatio et applicatio novae disciplinae a Pontificis mente et voluntate, prout in allegatis Documentis exprimitur, initium et mensuram sumere debet; 2. de relatione iuridica inter Constitutionem Apostolicam, tamquam Actum Pontificium, et Instructionem S. Officii, tamquam Actum huius Congregationis. Nonnulla enim puncta Constitutionis in Instructione accuratius circumscribuntur, cum in Constitutione magis indeterminate exhibeantur. Quod ad *normas particulares attinet,* servabitur ordo in Instructione S. Officii positus.

Principia generalia.

4. I. De *mente et voluntate Summi Pontificis.*

Quaenam sit mens et voluntas Pontificis quoad condendam et applicandam novam jejunii Eucharistici disciplinam, pluribus in locis explicite et univoce significatur, ita ut nullum dubium restet. Principales textus sunt hi: « Omnes perspectum habeant Nos, quamvis novae temporum rerumque condiciones suadeant, ut non paucas facultates et venias hac in re concedamus, *velle tamen per Apostolicas has Litteras summam huius legis consuetudinisque vim confirmare ad Eucharisticum quod attinet jejunium;* ac velle etiam eos admonere qui eidem legi obtemperare queant, ut id facere pergant diligenter, ita quidem *ut ii solummodo, qui in necessitate versentur, hisce*

concessionibus frui possint secundum eiusdem necessitatis rationes » (Const., n. 9). In parte dispositiva legitur: « *Jejunii eucharistici lex, a media nocte pro iis omnibus vigere pergit, qui in peculiaribus condicionibus non versentur, quas per Apostolicas has Litteras exposituri sumus* » (Const. n. 24, NORMA I.). Tandem in admonitione finali Pontifex repetit eandem mentem et voluntatem: « Locorum ... Ordinarii diligenter curent, ut *quaelibet evitetur interpretatio, quae concessas facultates amplificet ...*, in hisce enim dilargiendis facultatibus, quas hominum, locorum temporumque condiciones hodie postulant, *Nos etiam atque etiam volumus Eucharistici ieiunii momentum, vim atque efficacitatem confirmare ad eos quod attinet, qui Divinum Redemptorem sub Eucharisticis velis latentem accepturi sunt* » (Const. n. 31). Eadem haec Summi Pontifices mens apparet dein ex variis textibus Instructionis S. Officii; ita in initio: « Constitutio Apostolica ... largitur quidem non paucas facultates ac dispensationes circa legis ieiunii eucharistici observantiam, *sed normas maxima ex parte quoad substantiam quoque confirmat Codicis Iuris Canonici* (*can.* 808 *et* 858 § 1) *impositas sacerdotibus et fidelibus, qui eidem legi obtemperare queant* ... Quod attinet ad ceteras concessiones — (idest ultra omnibus concessum usum aquae naturalis) —, *iis tantum uti possunt sacerdotes et fideles, qui in peculiaribus versantur condicionibus, de quibus in Constitutione cautum est, ... Evitetur quaelibet interpretatio, quae concessas facultates amplificet, ...* « Eadem cogitatio occurrit versus finem Instructionis: « Constitutionis atque huius Instructionis interpretatio textui fideliter adhaereat, *neque ullo modo facultates tam favorabiles amplificet* » (Instr. n. 19).

5. Quibus e verbis Constitutionis et Instructionis apparet: regulam fundamentalem, a qua omnis interpretatio novae disciplinae ieiunii eucharistici procedere debeat, esse hanc: « *Ex voluntate Summi Pontifcs pristina lex*

quoad substantiam vigere pergit, concesso solummodo omnibus usu aquae naturalis; mitigationes determinatis personis pro determinatis adiunctis concessae, sunt et ponderari debent *exceptiones a dicta norma fundamentali* ». Contrarius modus cogitandi et agendi, scl. *mitigationes* habendas esse tamquam *regulam fundamentalem,* a qua procedendum sit; pristinam autem legem considerari debere *exceptionem* ab hac nova disciplina; hic *modus iudicandi contrarius est menti Legislatoris, in ipsa lege clare manifestatae.* Neque iuvat provocare ad regulam canonis 18, secundum quam « ad mentem legislatoris » solummodo est recurrendum, si « dubia et obscura » significatio verborum remanserit, ergo non nisi *subsidiarie.* Nam in casu ipsa verba legis, « secundum propriam eorum significationem in textu et contextu consideratam », explicite mentem legislatoris, tamquam normam interpretationis, exhibent.

5. II. *De relatione iuridica inter Constitutionem et Instructionem.*

Instructio S. Officii est et adhiberi debet *interpretatio authentica « Constitutionis Apostolicae »,* ideo *eandem vim* — (etsi non eandem « dignitatem ») — habet atque Constitutio. De interpretatione authentica statuit canon 17 : § 1. « Leges authentice interpretatur legislator eiusve successor et is cui potestas interpretandi fuerit ab eisdem commissa ». § 2. « Interpretatio authentica, per modum legis exhibita, eandem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubium explicet, non retrotrahitur et debet promulgari ».

In secundo alinea INSTRUCTIONIS haec habentur verba : « Itaque, ut normae ad huiusmodi concessiones pertinentes ubique conformi ratione serventur atque *evitetur*

quaelibet interpretatio, quae concessas facultates amplificet,... Suprema haec Sacra Congregatio S. Officii, *iussu mandatuque Summi ipsius Pontifics, statuit quae sequuntur* ». In fine autem INSTRUCTIONIS legitur: « *Summus Pontifex, hanc Instructionem approbans, statuit, ut ipsa promulgetur* per editionem in « Actis Apostolicae Sedis » *una cum Constitutione Apostolica « Christus Dominus* ».

Ex quibus verbis colligitur: Supremam S. Congregationem S. Officii in hac Instructione condenda non egisse ex *ordinaria sua potestate*, sibi ex iure competente, sed ex alia extraordinaria, sibi in hunc finem a Pontifice data. Praeterea: eam non scripsisse quae ipsi scribenda visa sint, sed quae Pontifex eam iussit scribere. Egit S. O. ex *speciali* iussu mandatuque, et quidem ex mandato *antecedenti*, idest primo S. C. iussa est scribere et scribere *hoc*, dein scripto consignavit quod voluit Pontifex. Quod eo magis attendi debet, quia ex potestate ordinaria S. Officium solummodo competens fuit, quod ad ieiunium Eucharisticum *sacerdotis celebrantis* attinet; quoad omnes alias personas disciplina ieiunii eucharistici pertinet ad alias S. Congregationes: S. C. de Sacramentis, S. C. de religiosis, S. C. pro Ecclesia Orientali, S. C. de Prop. Fid. Hinc, nisi S. Officium habuisset extraordinarium et speciale mandatum, quoad permulta quae in INSTRUCTIONE habentur, egisset « extra suam competentiam », et, in quantum hoc, « egisset nihil ». Accedit quod INSTRUCTIO non ponit normas mere directivas, sed *praeceptivas*; « statuit » significat enim — (iam vi vocis, sed adhuc magis ex contextu) — praecipere, imponere, iubere. « Iubere » autem non potest, nisi qui accepit potestatem iubendi eos quos iubet. Hanc autem potestatem S. O. non haberet — (uti modo iam dictum est) — in sat multis particularibus INSTRUCTIONIS, nisi explicite et modo speciali a Summo Pontifice accepisset. — Haec INSTRUCTIONIS qualitas iuridica apparet etiam et confirmatur ex subsequenti ap-

probatione, simul sumpta cum modo et die promulgationis; utrumque enim iterum ex speciali mandato Pontificis factum est. « Approbatur » talis, *qualis facta est*, scl. facta ex antecedenti iussu ac mandatu Pontificis, (prout in initio Instructionis dictum fuit); in promulgatione dein ex explicita voluntate Pontificis arctissime nectitur cum Constitutione tum quoad diem tum quoad modum. Quo sufficienter manifestatur : Pontificem velle, quod *rem* spectat, duo Documenta considerari ut *unum*. Contra hoc quidam ut servent suam de « INSTRUCTIONE » opinionem et inde deducant suas conclusiones, urgebant : desiderari in Instructione omnem formulam vel clausulam, qua *specifica approbatio* ACTUS CONGREGATIONIS, significari solet; ideo eam non habere eandem vim atque Constitutionem; hinc licere ab Instructione recedere, quoties in ea et in quantum appareat discrepantia a textu et verbis Constitutionis. Oblivioni dant, qui ita ratiocinantur : Actum alicuius Congregationis posse habere, et in casu INSTRUCTIONEM de facto habere, *rem* approbationis specificae sine ulla huiusmodi *formula* iuridica, (de qua re inspiciantur probati auctores *). Habet ergo INSTRUCTIO hanc *propriam suae interpretationis regulam, in ipsa expressam et ex ipsa desumendam.*

NORMAE PARTICULARES.

6. *Non omnes* quaestiones, quae a Moralistis et Canonistis de jejunio eucharistico poni solitae sunt, in duobus his novis Documentis officialibus tanguntur vel solvuntur; e. gr. de obiecto ieiunii eucharistici in genere quod describi solebat : res digestibilis ab extra per modum cibi vel potus in os immissa et deglutita; vel de computatione temporis (mediae noctis, horae, diei, mensis), de ieiunio

* e. gr. A. VAN HOVE, *De legibus ecclesiasticis*, pag. 349, n. 342; Lucius RODRIGO, *Praelectiones theologicae morales comillenses*, pag. 447, n. 614.

in casu viatici, de causis excusantibus (cf. can. 858), vel quaestio, utrum jejunium eucharisticum admittat parvitatem materiae sive quod tempus sive quoad rem sumptam; etc. etc. In quantum ad has quaestiones ex Constitutione Ap. et ex Instructione responsum hauriri non potest; ad principia, antea adhibita et agnita, recurri debet.

7. *Norma I. Constitutionis* (Const. n. 24; Instr., alinea primum).

Hac norma, uti iam supra monitum est, lex jejeunii non solum non abrogatur, sed quoad suam substantiam verbis minime ambiguis corroboratur et confirmatur; dicitur enim de ea: « a media nocte vigere pergit ». Nihilominus haec norma generalis et fundamentalis unam exhibet *pro omnibus* modificationem et mitigationem: *usum aquae naturalis.* Abhinc valet axioma: « *Aqua naturalis Eucharisticum ieiunium non frangit* ». Hac legis modificatione expunctus est terminus « *ieiunii naturalis* », quod consistebat in eo, quod a media nocte nihil omnino per modum cibi vel potus sumebatur. In novis Documentis terminus « ieiunii naturalis » non occurrit, et suspicari licet cum deliberato consilio esse evitatum; semper enim adhibetur terminus « ieiunii eucharistici », qui antea coincidebat cum ieiunio naturali; abhinc ab eo differt.

8. Conceptus « aquae naturalis » in Instructione his verbis aliquo modo magis distincte circumscribitur: « idest sine ulla cuiuslibet elementi adiectione ». Materia adiecta potest esse vel solida vel fluida vel aërea (gasium, e. gr. acidum carbonicum), at haec adiectio intellegenda est facta per industriam humanam, non ab ipsa natura. Duo ergo verificata esse debent, ut secundum communem hominum modum loquendi habeatur « aqua naturalis »: 1. ut sit *aqua,* non aliud fluidum quod in conversatione humana non dicitur sine addito « aqua », licet chimice maxima ex parte constet aqua (e. gr. coffea, tea, « li-

monata », aqua saccharo imbuta etc.; 2. ut sit *naturalis,* idest tamquam « aqua » a natura data, non autem alius succus naturalis, aquae maiorem vel minorem quantitatem continens. Quod « aqua naturalis » a natura adiecta habeat alia quoque elementa, non facit ut haec res desinat esse aqua eaque naturalis; ideo *aquae minerales,* quae dicuntur, comprehenduntur voce et conceptu « aquae naturalis ». Quod si in certis regionibus aquae, currenti in aquae ductu, admixtum est aliquid « chlori » vel alterius substantiae « desinficientis » ad praecavendas infectiones et morbos contagiosos, non facit, ut huiusmodi aqua secundum commune et sanum iudicium hominum non iam sit « aqua » eaque « naturalis ».

Norma II. Constitutionis (Const. n. 25; Instr. n. 1-3).

9. Quoad *infirmos* sive fideles sive sacerdotes. « Infirmitas » intellegitur defectus seu absentia *sanitatis;* at non quaevis vel minima « indispositio » vel « virium debilitas » ab hominibus sani et aequilibrati iudicii habetur « infirmitas ». Infirmitas vera distinguitur: gravis-levis, chronica-acuta, momentanea-perdurans (per longius tempus), lecto affigens-non affigens, periculosa-non periculosa, dolores causans-non causans dolores, aperta-latens (idest « diagnosticata » — non « diagnosticata » si scl. constat de facto, non autem de natura infirmitatis), physica-psychica-utrumque simul, etc. Qui ex aliqua huiusmodi « infirmitate » laborant, rationabiliter dicuntur *infirmi.* « Infirmi » habendi non sunt, qui fingunt vel simulant infirmitatem, qualiscumque haec sit.

Infirmi *non mero facto infirmitatis* a servando ieiunio eximuntur prout forte quis, inspecta tantummodo Norma II. Constitutionis, forte iudicaverit, sed ex n. 1. Instructionis constat: requiri insuper *grave incommodum* idque resultans infirmo (*vi infirmitatis suae*) ex *jejunio integre servato.* Hinc, si infirmus, etiam ratione

habita infirmitatis, illud integre servare potest, servare debet. Haec clausula et restrictio in canone 858 § 2, qui est « de infirmis qui iam a mense decunbunt sine certa spe ut cito convalescant », non inveniebatur, sed adhinc etiam relate ad hos viget. « *Incommodum grave* » censetur illud, quod homo sani iudicii et timoratae conscientiae dicit *attendendum*, non autem pro nihilo habendum et spernendum, seu a. v. quod rem, cui connectitur, reddit *vere duram et arduam*; et quidem arduam *infirmo*, non homini sano qui integer est viribus. Hoc si prae oculis habetur, intellegitur, cur verba Instructionis « absque gravi incommodo » in versione italica, item publicata in AAS(1953, pg. 52), quoad infirmos exhibeantur verbis « senza *vero* incomodo », dum secus haec verba latina, etiam in textu italico, reddantur vocibus « *grave* incomodo » (cf. Instructio n. 9. 10. 11.). « Grave incommodum » non restringitur ad aggravationem infirmitatis, quae ex servato ieiunio forte sequeretur; incommodum etiam, immo potius respicit aggravationem ipsius communionis eucharisticae, resultantem aegroto ex integre servato ieiunio. — Tandem incommodum excusans debet esse « *infirmitatis causa* », idest observatio ieiunii debet aegroto esse ardua et gravis, *quia aegrotus est;* nam intuitu *infirmitatis* aegrotis dispensatio a communi norma conceditur. Si ergo inter incommodum et morbum nullus est nexus, titulus « infirmitatis » invocari non potest, (salvis tamen aliis titulis forte concurrentibus).

Hae restrictiones iterum clare ostendunt voluntatem Pontificis non abolendi ieiunium, sed illud solummodo « mitigandi », et non nisi inter circumscriptos limites, in respectivis documentis assignatos.

10. *Quid* infirmis sumere permittitur? « Aliquid per modum potus vel per modum medicinae, sive liquidum (exclusis alcoholicis), sive solidum, dummodo de vera medicina agatur, a medico praescripta vel ut tali vulgo recepta », (Instr. n. 1). Usum *aquae naturalis* infirmis esse

semper licitum, etiam nulla ratione habita alicuius incommodi) non est, cur iterum dicatur, cum aqua naturalis abhinc sit omnino extra campum ieiunii eucharistici.

« *Per modum potus* » sumitur, quod secundum commune et sanum iudicium hominum dicitur « *bibi* », et non « edi », seu quod est : fluidum, bibi solitum. Res autem quae per modum « potus » sumitur, non solet considerari ab hominibus secundum « *statum aggregationis* », in quo tandem *deglutitur*, sed secundum statum, in quo *in os mittitur*. Saccharum, chocolatum, pastillae, caramellae, etc., immo sat multi cibi solidi, per diuturnum tempus in ore retenta, emolliuntur dissolvuntur et una cum saliva tamquam fluidum quid deglutiuntur; nihilominus secundum commune iudicium hae res non dicuntur « bibi » seu « potari ». — Neque puls vel pulticula in conversatione humana habetur et dicitur « potus »; non ergo valet consideratio : omnis res comestibilis aut est cibus solidus aut est potus. Inter haec extrema datur medium, scl. cibus mollis seu tener, qui nec est potus nec cibus solidus. Quod autem infirmis permittitur, est « *potus* », seu res comestibilis, quae secundum commune iudicium dicitur : « bibi » seu potari », non autem « edi ». — Ex altera parte potus qui permittitur potest esse potus *nutritivus* e. gr. lac, chocolatum fluidum, ius carnium; ova in statu prout a natura praesentantur (seu nullo modo cocta); varia « extracta » (non-alcoholica), in potum immitti inibi penitus solvi solita, ad vim nutritivam potus augendam; potus alia additamenta nutritiva immissa habens ita tamen, ut totum sit ac maneat sensu vero « potus » et non mutetur in pultem vel pulticulam. Permitti non potest, ut in potum ingerantur nutrimenta solida, quae talia manent et simul cum potu sumuntur e. gr. particulae carnis; nec valet argumentatio : « parum pro nihilo computatur ». In tali casu sumeretur et potus et cibus solidus.

Explicite a potibus licitis excluduntur *potus alco-*

holici, sive in maiore sive in minore quantitate; tum pure et separatim sumpti, tum immissi in alium potum, in se non alcoholicum, e. gr.: « Cognac » missum in lac, « liquor » missus in coffeam vel in team. Etiam hic non valet: « parum pro pro nihilo computatur ».

11. Praeter « potum » permittitur infirmis etiam « *medicina* », sive solida, sive fluida, dummodo tamen sit et nomen mereatur « medicinae ». Ideo in Documentis dicitur « vera medicina », idest non alia res, fictitie et simulate ornata nomine « medicinae ». — Non *exigitur,* ut medicina sit a medico « praescripta », quamvis hic sit casus ordinarius; sufficit: rem quae sumatur « vulgo receptam » esse et haberi medicinam, e. gr. aspirinum, pyradidolum, et alia sat multa. — A « medicina » autem excluditur « quodlibet solidum pro nutrimento sumptum »; non quia solidum nutrimentum non possit revera in determinatis casibus pro determinatis infirmis habere rationem « verae medicinae », sed quia Legislator ad talem medicinam non vult extendere indultum, infirmis concessum. — Praeterea a medicinis fluidis explicite excluduntur « medicinae alcoholicae », sive constent vel ex toto vel maiore ex parte alcoholo, sive solummodo alcoholum habeant admixtum. Contra medicinas alcoholicas per se nihil est monendum — (sunt permultae) — et praeterquam tempore a media nocte usque ad communionem infirmus sine ulla anxietate eas sumat iuxta ordinationem medici vel etiam secundum proprium sanum iudicium; sed Summus Pontifex indultum ad huiusmodi medicinas alcoholicas non extendit.

12. Infirmi dispensatione a ieiunio *uti possunt*: non semel tantum, sed etiam repetitis vicibus eodem die; uti possunt a primo die vel a primo momento infirmitatis (abrogata clausula canonis 858 § 2 « Qui a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant »). Tandem ea possunt uti, « nulla adiecta ante communionem temporis limitatione » (Instr. n. 2); hinc etiam immediate ante

s. communionem, (si hoc necessarium est vel eos quocumque modo iuvat).

Consilium confessarii.

13. *Requiritur* consilium Confessarii ad hoc, ut quis fidelis non ieiunus ad S. Communionem accedere possit; hoc consilium peti debet ante communionem, non necessario antequam quis quid per modum potus vel medicinae sumat. Necessitas consilii petendi effertur in Instructione his verbis: « neque quisquam sine eius (idest CONFESSARII) consilio [dispensatione] uti potest » (n. 2); et quoad fideles non-infirmos, sed in adiunctis specialibus positos, fere iisdem verbis urgetur, scl. « neque absque eius consilio fideles non ieiuni sanctissimam Eucharistiam recipere possunt » (Instr. n. 11). Non relinquitur ergo iudicio cuiusvis fidelis iudicare, num condiciones ad usum indulti requisitae verificentur; ecclesia vult talem usum manere sub vigilantia confessarii. In qua norma novum indicium habetur voluntatis Ecclesiae impediendi, ne ieiunium eucharisticum apud fideles paulatim oblivioni detur aut in desuetudinem abeat.

Confessarius hoc loco non intellegitur quilibet « sacerdos » (etsi nulla facultate audiendi confessiones sacramentales instructus); neque est quilibet sacerdos qui *alicubi in orbe* habet iurisdictionem sacramentalem, sed est quilibet sacerdos confessarius *relate ad fidelem interrogantem,* et quidem eo *momento, quo* interroganti consilium dat. Haec condicio in confessario verificatur, si dicto momento ex quocumque legitimo titulo relate ad interrogantem *habet* iurisdictionem sacramentalem; quamvis ea fortasse hoc momento ob speciales circumstantias *uti* nequeat. Non requiritur, ut hic sacerdos sit interrogantis confessarius proprius, habitualis, potest esse mere occasionalis; neque requiritur, ut interrogantis confessionem nunc de facto audiat vel iam aliquando audierit. His

attentis, apparet, necessitati infirmorum et fidelium, quod ad interrogandum confessarium attinet, abundanter esse provisum; (licet per accidens etiam hac in re « copia confessarii » deesse queat).

Confessario interpellato incumbit « perpendere » (Instr. n. 2), num condiciones, a quibus Legislator dispensationem a ieiunio dependere fecit (idest practice: num in casu « grave incommodum », attenta persona infirmi) verificentur (cf. etiam l. c., n. 11). Quod examen Confessarii reservatur « foro interno » sive sacramentali sive non-sacramentali; supponit enim persaepe confidentialem manifestationem *personalis condicionis infirmi*, quod attinet ad difficultatem ieiunii integre servandi. Et solummodo tali manifestatione supposita, confessarius iudicare potest, num in hoc casu particulari huius personae verificetur quod ad usum indulti praerequiritur. Unde apparet, cur decisio secundum novam disciplinam non concredita fuerit foro externo, sed confessario. Ex eadem ratione etiam patet, cur consilium confessarii non sit dandum « *catervatim* » seu una simul pluribus, sed detur singulis iuxta cuiusvis dispositionem personalem, et si forte una plures sunt in iisdem forte condicionibus et circumstantiis externis. Nam circa eandem obiectivam difficultatem servandi ieiunii reactio personalis potest esse et saepe revera est sat diversa.

Fideles infirmi (atque etiam non infirmi) non tenentur *singillatim singulis vicibus* petere confessarii consilium, sed si, stante et perdurante eadem infirmitatis dispositione, pluries S. Communionem recipere intendunt, a confessario *semel pro semper* consilium petere et accipere possunt. — Possunt hoc idem facere *in antecedenti*, (idest non tantum die et hora communionis recipiendae); sic, si praevidente: se e. gr. in arripiendo itinere ex determinata infirmitate « grave incommodum » quoad ieiunium eucharisticum servandum subituros esse. — « *Licentia praesumpta* » non videtur admittenda, certo

non in casu in quo confessarius adiri potest; sed neque in aliis casibus, quia periculum est nimis magnum, ne intenta a Legislatore vigilantia Ecclesiae circa concessi indulti usum illusoria reddatur. Passim enim sibi persuaderent fideles: se certos esse Confessarium permissionem esse daturum; sibi durum et nimis molestum esse interrogare confessarium de re evidenti; et huiusmodi plura, et omittent interrogare confessarium.

14. *Sacerdotes* infirmi, sive Missam celebraturi sive solummodo communicaturi. (Const. n. 25; Instr. n. 3).

Quoad *rem* sacerdotes iisdem normis subsunt atque fideles; requiritur *infirmitas,* requiritur *grave incommodum* ieiunii integre servandi, idque proveniens ex ipsa infirmitate.

Permittitur iis: *sumere aliquid* ante celebrationem vel simplicem communionem per modum *potus,* non-alcoholici, vel per modum *medicinae* sive solidae sive fluidae (semper exclusis alcoholicis). — Sed sacerdotes (aliter atque fideles) non alligantur eidem *modo* sibi vindicandi applicationem Indulti, idest recursui ad Confessarium. Supponitur: ipsos habere requisitam scientiam necnon debitam sinceritatem conscientiae, ut de adimpletis praerequisitis (quae pro ipsis omnino eadem sunt atque pro omnibus fidelibus) recte et timorate iudicent.

15. De infirmis *religiosis* neque in Constitutione Apostolica neque in Instructione S. Officii habetur norma specialis. Ad eos ergo, si non sunt sacerdotes, applicanda sunt, quae in nova disciplina statuuntur de « fidelibus », (licet secus « religiosi » sat frequenter in Iure non comprehendantur termino « fidelis »).

* * *

Norma III Constitutionis (Const. n. 26. Instr. n. 4-8). *Quoad sacerdotes in peculiaribus adiunctis positos.*

16. In hoc capite sermo est de sacerdotibus *non-infirmis;* qui tamen speciali modo aggravantur incommodis, ieiunium eucharisticum difficile reddentibus. Si ad haec incommoda accedit « infirmitas », hi sacerdotes cumulative uti possunt dispensatione, hoc in capite designata, et alia designata in capite de infirmis. Quamvis in toto hoc capite terminus « incommodi gravis » non occurrat, tamen ex contextu et ex iis qui in nn. 12, 13, 19 de his sacerdotibus habentur, clare apparet: quoad *rem* supponi « incommodum grave », ita ut, si omne omnino « incommodum » abesset, sacerdos ad indultum, hoc in capite concessum, non posset provocare. Addi tamen debet: in tribus assignatis « casibus » *supponi* grave incommodum adesse, et contrarium esse probandum.

Speciale ergo indultum conceditur sacerdotibus celebraturis: vel 1) hora tardiore, vel 2) post gravem sacri ministerii laborem, vel 3) post longum iter. Aliae causae vel causarum categoriae non admittuntur, et explicite prohibetur facultatem concessam amplificare seu extendere ad alias causas (Instr. n. 5), cum Legislator non nisi in his adiunctis indultum concedere intendat.

17. *Hora tardior* accurate circumscribitur his verbis: « i. e. *post horam nonam* ». In casu binationis vel trinationis sive omnes sive una ex iis esse possunt « hora tardiore ». — Non raro accidere dicunt in « diaspora », quod sacerdos celebraturus sit hora 8 et 9 et 10; aut h. 8 et 10 1/2 et 12. In tali casu sacerdos ad indultum *ex titulo « tardioris horae »* provocare non potest ratione Missae hora octava dicendae; potest tamen eo uti ante horam septimam intuitu Missae post horam nonam celebrandae, supposito autem, quod inter primam Missam finitam et al-

teram Missam coeptam non intersit sufficiens temporis spatium ad hoc, ut aliquid potus liciti sumere simulque per unam horam ante novam Missam ieiunus manere queat. — Servata semper hac norma, sacerdos etiam *pluries eodem mane* titulo « horae tardioris » dispensatione uti potest, si talis agendi modus rationabiliter dici potest necessarius vel conveniens intuitu finis et motivi, cur Legislator dispensationem concesserit.

18. *Gravis labor ministerii sacri* est secundus titulus (vel secundum incommodum). Hic in ministerio sacro persaepe iunctus est cum primo titulo « horae tardioris »; nihilominus est ab eo independens et ex se solo ad usum indulti sufficiens. Instructio n. 4 exemplum laboris gravis memorat exercitium « iam a summo mane seu per longum tempus », e. gr. in confessionibus fidelium recipiendis; magis fusam explicationem « gravis laboris » ministerii sacri exhibet Constitutio Ap. nn. 12 et 13 iunctim n. 19. Certum est: ad utrumque titulum, scil. « *horae tardioris* » et « *gravis laboris ministerii sacri* » persaepe, ut se liberum censeat a ieiunio eucharistico integre servando provocare posse Episcopum, ordines permagno clericorum numero conferentem; praesertim si iam est provectae aetatis. In tali enim casu Missa ordinationis hinc inde protrahitur per plures, horas; nam etsi ea initium sumpsit circa horam 8, non finitur ante horam 10, 11, 12, vel adhuc serius. — Per numerosas ordinationes, interpositas interpartes quae ordines conferendos antecedunt et eas quae ordines subsequuntur, primae partes Missae tantopere disjunguntur a subsequentibus partibus, magis constitutivis Liturgiae Missae (offertorium etc.) ut, obligationem ieiunii eucharistici *ante* celebrationem servandi *terminus a quo* temporis computationis haberi possit *momentum post finitas ordinationes*. — Sed independenter ab hac circumstantia « *horae tardioris* » habetur titulus « *gravis laboris ministerii sacri* »; nam in Episcopo ordinante per totum ordinationis tempus et in quolibet casu particulari

exigitur accurata, continua, defatigans advertentia et mentis et oris et manus, ut omnes functiones sacrae valide, decenter et religiose peraguntur. Praeterea notari debet gravitatem laboris non semper mensurari debere ex *diuturnitate* eius, sed aliquando potius ex intensitate, ratione simul habita virium et salutis respectivi sacerdotis. Labores autem, etiam graves, qui nullo modo iuncti sunt cum « ministerio sacro », per se non dant ius ad usum indulti ex secundo hoc titulo. At non extra, sed intra voluntatem Legislatoris esse videtur, verificato in sacerdote titulo « laboris debilitantis », omnibus fidelibus concesso (Const., norma V, n. 28, Instr. n. 10a), sacerdoti concedere usum dispensationis, e. gr. si sacerdos, non in exercitio « ministerii sacri », sed ex mera caritate proximi apud infirmum noctem vigilem transegit.

19. *Longum iter,* qui tamquam tertius dispensationis titulus affertur, aut est pedestre aut est vehiculare. Hoc iter celebrationem debet *antecedere*; dicitur enim « sacerdotes *post longum iter celebraturi* ». De quonam itinere agatur, in Const. n. 12 his significatur verbis : « cumque [sacerdos] interdum officio quoque teneatur longinquum faciendi iter, ut *sacra ne desint haud parvis sui gregibus partibus* ». Iter longum pedestre debet esse « saltem 2 km. circiter »; iter vehiculare, ut constituat « incommodum », applicationem indulti fundans, debet esse « proportionate longius pro variis vehiculis adhibitis ». Nihilominus difficultas huius itineris non est ponderanda ex sola eius *diuturnitate,* sed ratione habita etiam alterius « difficultatis itineris » necnon « personae » itinerantis. — Quaeri potest, num haec formula « difficultatis quoque itineris vel personae habita ratione » etiam applicari possit ad iter *pedestre*; nam via 2 km. aliter sentitur ab homine salvo et sano, aliter ab eo qui habet e. gr. debile cor, debiles pulmones, qui laborat debilitate pedum et crurum, etc. Attenta sola structu-

ra grammaticali, videtur respondendum n e g a t i v e; sed practice res non est magni momenti; quia in huiusmodi casibus regulariter accedit titulus « infirmitatis ».

20. *Quid* sacerdotibus in his adiunctis versantibus conceditur? Aliquid sumere possunt per modum *potus*, etiam nutritivi, — exclusis alcoholicis — *semel vel pluries* — *servato ieiunio unius horae* ante Missae celebrationem. Quid vero veniat nomine « potus », supra iam expositum est, cf. n. 10. — Si accedit titulus *infirmitatis*, cumulative valent quae de infirmis iam sunt exposita, et quidem tum quoad *id quod*, tum quoad *tempus quo* sumptionis.

21. De *binatione et trinatione* hae ponuntur regulae (Const., norma IV, n. 27 Instr. n. 6-8). Plures missae dici possunt vel *cum* vel *sine* intermissione; sacerdos in prioribus Missis *duas ablutiones* a rubricis praescriptas sumere *potest* (non « debet »), sed adhibita tantum *aqua* (quae secundum novum principium ieiunium eucharisticum non frangit). Si autem hic sacerdos *per inadvertentiam* in ablutione sumpserit vinum quoque, et si bis vel ter celebrare *debet*, non vetatur, quominus, etsi non amplius ieiunus, secundam et tertiam missam celebret. Hinc si non ex inadvertentia, sed *advertenter* vinum sumpserit; vel si *non tenetur* binare vel trinare — (quod valet pro permultis sacerdotibus, qui die Natalis Domini vel commemorationis omnium defunctorum non ex necessitate sed ex devotione plures Missas dicunt, sed dicunt inter singulas interiecta intermissione): hic ab aliis missis celebrandis abstinere debet.

In pluribus Missis, *sine* intermissione dictis, (prout passim fieri solet a sacerdotibus die Nativitatis Domini et die omnium fidelium defunctorum), ablutiones non sunt sumendae, sed sacerdos praescriptivas rubricas, hucusque servatas, etiam in posterum servare debet. Quod si (sive scienter, sive inadvertenter) sumpserit ablutiones

cum sola *aqua*, peccat contra grave rubricarum praeceptum, sed mansit ieiunus; si vinum quoque sumpsit: et egit contra rubricas, et non est amplius ieiunus.

22. Etiam secundum hoc caput, quod sacerdotes in peculiaribus adiunctis versantes respicit, clare manifestat, quae in condenda nova lege fuerit mens et voluntas Summi Pontificis circa ieiunium eucharisticum: « *Jejunii eucharistici lex, a media nocte vigere pergit* »; ergo nec est abolita nec abrogata, neque quoad sacerdotes neque quoad fideles. Ex altera parte aeque certa est Legislatoris mens et voluntas succurrendi horum temporum indigentiis et necessitatibus per amplas concessas mitigationes, ne sacerdotibus haud paucis ieiunio eucharistico ministerium sacrum plus aequo grave et difficile, immo nocivum reddatur.

Norma IV. Constitutionis (Constitutio n. 28; Inst. n. 9-11). *Quoad fideles in peculiaribus adiunctis versantes.*

23. In tertio hoc capite agitur de *fidelibus, non infirmis,* qui in similibus condicionibus versantur atque sacerdotes, de quibus in capite antecedenti sermo fuit. Hinc mirum non est plura recurrere eorum quae modo exposita sunt.

Prima quaestio est, *cur* his fidelibus mitigatio ieiunii eucharistici concedatur. Responsio, verbis minime ambiguis data, est haec: quia et in quantum hi ieiunium eucharisticum « *ob grave incommodum* » nequeunt servare integrum (cf. Instr. n. 9). Hi ergo fideles *non nisi dependenter ab hac circumstantia « gravis incommodi »* a plena legis ieiunii eucharistici severitate eximuntur. At in tribus categoriis, hoc loco enumeratis, *praesumi* potest esse in singulis fidelibus et sentiri « grave incommodum ». Haec restrictio semper prae oculis haberi debet in diudicandis casibus particularibus. Fideles ergo, hoc capite enumerati, « gravi incommodo » nondum vel non iam exstante

(quia ex toto cessavit), observationi legis eodem modo obnoxii sunt sicuti omnes alii fideles. Agitur enim de aliqua, per ipsum Legislatorem inter assignatos arctos limites concessa dispensatione a communi de ieiunio eucharistico lege. Ideo hoc in capite, sicuti pluries aliis in locis, inculcatur vetitum extendendi limites Indulti vel amplificandi datas facultates tam favorabiles (cf. Instr. nn. 10. 19).

24. Secunda quaestio est, *quid* his fidelibus concedatur. Conceditur: « *aliquid sumere licet per modum potus, exceptis tamen alcoholicis et servato ieiunio unius horae ante sacrae communionis receptionem* » (Instr. n. 9.) Quid intellegatur « potus » - « potus nutritivus » - « potus alcoholicus », supra n. 10 iam expositum est; sufficiat igitur ad ibi dicta remittere.

25. Tertia quaestio est de sensu et natura « *causarum* », a quibus licitus Indulti usus dependet, et quae solae a Legislatore sunt admissae. Enumerantur tres, similes iis quae in capite antecedenti de « sacerdotibus » fuerunt nominatae: 1) labor debilitans, 2) hora tardior, 3) longum iter.

Labor debilitans intellegi debet secundum communem sensum et sanum hominum iudicium; est labor qui inducit notabilem defatigationem, attendibilem virium diminutionem; talem mentis vel corporis vel utriusque lassitudinem, quae creare solet refectionis cuiusdam et nutrimenti desiderium ac exigentiam. Habetur tum in Constitutione (n. 15), tum in Instructione (n. 10 a) elenchus quidam, (exemplificativus, non taxativus) personarum, quae huiusmodi labores passim subeundos habent: « opifices, qui, officinis vel vehicularibus maritimisque muneribus, vel aliis publicae utilitatis officiis addicti, diu noctuque per vices occupantur; illi qui ex officio vel ex caritate noctem vigilem peragunt (v. gr. valetudinarii, custodes nocturni, etc.) »; « matresfamilias, quae, antequam ecclesiam adire queant, in domesticis negotiis per longum tempus

incumbere debent ». Huic elencho additur: « *etc.* ». Supponitur ergo: praeter enumeratas posse etiam alias personas, in quibus eadem circumstantia « laboris debilitantis », ante s. communionem praestandi, verificetur. Quod sane haud raro accidit: e. gr. in servis domesticis, in ancillis, in agricolis, in officialibus, in medicis, etc. In exhibito in Instructione elencho personarum ponuntur etiam « mulieres praegnantes ». Videtur aliquibus, quod ad eas quoque trahenda sint subsequentia verba: « quae in domesticis negotiis per longum tempus incumbere debent ». Ratio autem cur alii dubitent, est, quod, si hoc ita esset, superfluum fuisset, eas explicite nominare; comprehenderentur enim illo finali « *etc.* » Ultimis decenniis S. C. de Sacramentis concesserat multis Ordinariis, hoc petentibus, facultatem ita dispensandi « mulieres praegnantes » a ieiunio eucharistico, ut per modum potus aliquid sumere potuerint. Et causa fuit, quod tempore graviditatis mulieres saepe non ex labore praestito, sed ex superveniente quadam *debilitate* aut *alia causa physiologica* sentiant indigentiam et necessitatem aliquid sumendi ad vires reficiendas. Revera esse potest, quod Instructio huic exigentiae praegnantium succurrere voluerit; sed tunc phrasis, supra allegata (scl.: « *Quae ... per longum tempus incumbere debent* ») ad solas matresfamilias, non autem ad « mulieres praegnantes » trahi debet.

26. *Hora tardior* hoc loco non absolute designatur, sicuti in antecedenti n. 4. Instructionis: « *i. e. post horam nonam* », sed *relative* i. e. hora quae fidelibus, si ieiuni ad sacram synaxim accedunt, non permitteret, ut, communione recepta, domum redirent ad necessariam refectionem sumendam, antequam ad laborem accedant. Horam tardiorem ita esse sumendam, elucet ex verbis tum Constitutionis (n. 14. 17) tum Instructionis (n. 10, b). — Elenchus personarum, in quibus haec ratio « *horae tardioris* » iuxta INSTRUCTIONEM facile occurrit, iterum est exemplificativus, non taxativus. Nominantur primo loco « fideles,

qui tantummodo serioribus horis possunt apud se sacerdotem habere, qui *sacris operetur* », (idest : qui *Missam celebret* et occasione Missae s. communionem porrigit; non ergo agitur de exspectando sacerdote, qui hora tarda veniat *tantummodo ad Communionem distribuendam;* hunc esse sensum, clare elucet ex n. 14 CONSTITUTIONIS). — Durum esset, si hi fideles per tempus saepe sat diuturnum ieiuni manere et sine omni refectione ad suos labores accedere deberent. — Explicite dein nominantur « *pueri complures, quibus nimis grave est, antequam ad scholam se conferant, ecclesiam adire, angelico pane vesci, postea vero domum reverti, ientaculi sumendi gratia* »; idem, sed paulo fusius, effertur in n. 17 Constitutionis. Haec « hora tardior », si absolute sumitur, potest esse sat matutina. E. gr. pueri, qui hora octava in schola esse debent, si in Missa, celebrata hora septima cum quadrante, recipiunt s. Communionem, eam recipiunt hora matutina, non tarda; nihilominus plurimi, finita hac Missa, domum ante scholam redire nequeunt; ideo pro ipsis hora septima cum quadrante est « hora tardior ». Et hoc non solum dici potest de « pueris » proprie dictis, sed etiam de sat multis aliis, qui eandem difficultatem redeundi domum post communionem sentiunt, e. gr. de gymnasiastis, de auditoribus academicis, de magistris et professoribus, de officialibus, de operariis, etc. Quia in fine huius elenchi repetitur illud « *etc.* » : qui ita censet, non extendit neque amplificat ambitum liciti usus dispensationis, sed manet intra limites a Legislatore expressis verbis significatos. Ex altera autem parte etiam constat : eum non posse sibi vindicare causam « horae tardioris », cui post susceptam s. Eucharistiam sufficiens tempus est, redeundi domum et sumendi necessariam refectionem, antequam ad officium et laborem accedere debet. Neque qui ordinarie hanc difficultatem servandi ieiunii habet, indulto uti potest iis diebus, quibus talis difficultas non est. — Deliberato consilio eligere horam tardiorem, *unice propter ma-*

iorem commoditatem, cum nulla omnino sit difficultas accedendi ad Communionem hora magis matutina, licitum dici non potest, cum contraria mens Legislatoris in Documentis authenticis sit sufficienter expressa. — At quaedam *necessitas* eligendi horam tardiorem habetur, si e. gr. quis occasione alicuius festi tamquam membrum alicuius associationis piae una cum aliis membris determinatae Missae interesse et in ea cum aliis membris communionem (« generalem ») recipere vult, licet in alia ecclesia et Missa possit hora anteriore ad s. synaxim accedere, dein domum redire, refectionem sumere, et postea communi associationis Missae interesse; qua finita, statim ad suum officium vel laborem accedere debet. — Qui « pueris » aliisque in eadem condicione positis vindicare volunt licentiam sumendi etiam *cibum solidum*, quoties « hora tardiore » communionem suscipiunt, suae sententiae sufficiens argumentum non habent neque in verbis Constitutionis « *ut necessarium suscipiant nutrimentum* » (n. 17) neque in verbis Instructionis « *ientaculi sumendi gratia* » (n. 10, b). Si dicunt: « necessarium nutrimentum » et « ientaculum », vi vocis et communis usus comprehendere etiam « cibum solidum », oblivioni dant vel neglegunt: in utroque Documento explicitis verbis enuntiari: pueros posse aliquid sumere « per modum potus »; quod in contextu evidenter dicitur in oppositione ad « cibum solidum ».

27. *Longum iter*, « quod suscipere debent » (Const. n. 28) vel habent « peragendum, ut ad ecclesiam perveniatur » (Instr. n. 10, c), debet esse tale, ut sine gravi incommodo « ad Eucharisticam mensam omnino ieiuni adire nequeant » (Const. n. 28). De elementis, quae « ad longum iter » constituendum requirantur, recurrunt dicenda, quae de *sacerdotibus celebrantibus* statuta sunt, et de quibus supra (n. 19) iam fuit sermo. Non est ratio, cur haec iterum exponantur. — Eligere ecclesiam longius distantem ex ea sola ratione, ut quid se liberet a ieiunio servando, licet in ecclesia viciniore sine difficultate ieiu-

nus possit s. Eucharistiam sumere, approbari nequit. Qui autem habet positivam iustamque causam, cur, neglecta ecclesia viciniore, se conferat ad longius distantem (e. gr. visitatio alicuius sanctuarii, in quo velit ad s. communionem accedere), non est inquietandus neque prohibendus, quominus sic agat.

28. Ultima huius capitis quaestio est de exquirendo per fideles *Consilio confessarii,* antequam indulto utantur, et ut ea uti possint. Recurrunt dicenda, quae de eadem re in capite de *infirmis* iam dicta sunt; recollantur ergo quae supra n. 13 habentur. — Hic recursus ad confessarium tam *necessarius* est, ut « absque eiusdem consilio fideles non ieiuni sanctissimam Eucharistiam recipere non possint » (cf. Instr. n. 11). — Confessarius duo praestet: 1) examinare debet, num casus a fideli propositus sub una ex tribus categoriis (hora tardior, labor debilitans, longum iter) subsumi queat; 2) num in proposito casu particulari ex causa assignata exsurgat ipsi interroganti « grave incommodum » respectu ieiunii integre servandi. — De *modo quo* confessarius consilium dare possit, in foro interno sive sacramentali sive non sacramentali, quae sunt scitu necessaria, supra fusius sunt exposita (cf. n. 13). — Responsum confessarii, forte semel pro semper datum, valet solummodo « *causa gravis incommodi perdurante* »; ea *totaliter* cessante, exspirat.

Norma VI. (Const. n. 29-30; Instr. n. 21-32). *Quoad Missas vespertinas* (*et Communionem vespertinam*).

29. I. De *Missis vespertinis* prima quaestio est, *quibusnam* personis quoad Missas vespertinas concedatur facultas. *Non datur immediate ipsi sacerdoti,* hic eam nec indicere nec celebrare potest, etsi ex rationibus positivis, solidis et iustis censet: bono animarum et promovenda religione talem celebrationem non solum suaderi sed exigi. Facultas permittendi Missas vespertinas ex-

clusive datur: *Ordinariis locorum*; hinc nullo modo competentes sunt *Superiores religiosi*, nec maiores nec locales (cf. can. 198), nisi per accidens sunt simul « Ordinarii locorum ». — Quia vero haec facultas nunc ipso iure adnexa est officio Ordinari loci (cf. can. 197, § 1) Ordinarius potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare; neque enim aliud expresse iure cavetur (cf. can. 199, § 1).

Ordinarii locorum data sibi potestate non *ad lubitum suum* uti possunt, sed solummodo « *si rerum adiuncta id necessario postulant* (Const. n. 29), seu (prout dicitur in INSTRUCTIONE n. 21) « *si bonum commune sacrorum mysteriorum celebrationem post meridiem expostulat* ». — In Instructione iterum positus est elenchus personarum, propter quarum « bonum spirituale » missa vespertina possit esse expostulata: quarundam industriarum opifices, qui festis quoque diebus laboribus succedunt in vices; illae operariorum classes, qui matutinis festorum horis occupantur; ii qui ex dissitis etiam regionibus maxima frequentia in unum locum conveniunt ad quandam festivitatem religiosam vel socialem celebrandam. Cum personis explicite enumeratis adiungatur « etc. », agitur de personarum elencho exemplificativo, non taxativo. Eadem moralis impossibilitas mane assistendi Missae celebrationi haberi potest etiam in aliis officialibus, in ancillis et servis familiarum, hospitalium, hospitiorum, in medicis et infirmariis. — *Quot* debeant esse fideles, ut propter eorum bonum spirituale Ordinarius loci missam vespertinam permittere valeat, in Instructione non dicitur; res relinquitur ergo prudenti Ordinarii iudicio decidenda. — Ordinarius dein non est competens nisi ad permittendam *in proprio territorio* Missae vespertinae celebrationem (Instr. n. 21), sed intra proprium territorium etiam si Missa celebretur in ecclesia vel in sacello (saltem semipublico) familiae religiosae.

30. Secunda quaestio est de *tempore quo* ex concessione Ordinarii loci Missa vespertina dici possit, quanam *hora* et quibusnam *diebus*.

Quoad *horam* statuitur: Missam *non permitti ante horam quartam post meridiem* (Instr. n. 12). Assignatur ergo pro tempore computando *terminus a quo; terminus ad quem* non est determinatus. Hinc licita haberi potest Missae celebratio aliqua hora, quae secundum sanum et rationabile iudicium (ratione etiam habita huius temporis modi vivendi, secundum quem etiam hora sat serotina adhuc adnumeratur diei et vesperi). Nihilominus nemo Missam media nocte vel brevi antea coeptam dixerit « *missam vespertinam* », est « missa nocturna »

31. Quoad *dies*, quibus Missa vespertina ab Ordinario permitti possit. Instructio specialem exhibet elenchum, quem explicite — (ergo aliter ac supra allatum elenchum *personarum*) — declarat *taxative*, non exemplificative, intellegendum, ideo non adiungitur in fine aliquod « etc. ». Hinc *non nisi his diebus* (nullo omnino alio adiuncto) Missa vespertina est licita; neque Ordinariis pro ullo alio die facultas concedendi celebrationem Missae vespertinae est data.

Dies autem, taxative designati, sunt hi:

1) omnes *dies festi de praecepto, qui sunt in vigore*; allegatur canon 1247 § 1. Secundum hunc canonem etiam omnes et singuli *dies dominici* veniunt nomine diei *festi de praecepto*. Quod ideo explicite monendum est, quia in non paucis regionibus in communi fidelium modo loquendi clare distinguuntur « dies dominici » et « dies festi ». — Praeter Dominicas sunt festi de praecepto: festum Nativitatis (25 Dec.) Circumcisionis (1 Ian.), Epiphaniae (6 Ian.), Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis Almae Genitricis Dei Mariae (8 Dec.), sancti Joseph eius sponsi (19 Martii), Beatorum Petri et Pauli Apostolorum (29 Iunii), Omnium denique Sanctorum (1 Nov.).

2) dies festi de praecepto *suppressi* iuxta Indicem S. C. Concilii die 28 Decembris 1919 editum (*AAS.*, XII, 1920, pp. 42-43); qui sunt sequentes:

(1) Feria II et Feria III post Resurrectionem et post Pentecosten;
(2) Inventio S. Crucis (3 Maii);
(3) Purificatio B. V. M. (2 Febr.);
(4) Annuntiatio B. V. M. (25 Martii);
(5) Nativitas B. V. M. (8 Sept.);
(6) Dedicatio S. Michaelis (29 Sept.);
(7) Festa S. Apostolorum: Andreae (30 Nov.), Jacobi (25 Julii), Joannis (27 Dec.), Philippi et Jacobi (1 Maii), Bartholomaei (24 Aug.), Matthaei (21 Sept.), Simonis et Judae (28 Oct.), Mathiae (24 Febr.);
(8) Festum s. Stephani Protomartyris (26 Dec.);
(9) Festum s. Innocentium (28 Dec.);
(10) Festum s. Laurentii (10 Aug.);
(11) Festum s. Silvestri Papae (31 Dec.);
(12) Festum st. Annae Matris B. V. M. (26 Julii)
(13) Dies Patroni Regni;
(14) Dies Patroni loci;

3) primis cuiusque mensis feriis sextis;

4) die uno in hebdomada, *praeter* (*idest*: *ultra*) *dies supra memoratos,* si bonum peculiarium personarum classium id postulat.

